



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Thomae Młodzianowski, Polonie, Societatis Jesu,
Prælectionum Theologicarum Tomus ...**

De Metaphysica, Logica, Octo Libris Physicorum, Generatione, Corruptione
Et Anima

Młodzianowski, Tomasz
Moguntiae Et Dantisci, 1682

Disputatio III. De intellectu & intellectione in communi.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95667](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95667)

DISPUTATIO III.

De intellectu & intellectione in communi ?

Sicut est prius esse cognitum quam volutum, ita prior erit disceptatio de intellectu, & intellectione in communi, quam de voluntate & volitione. Quia verò prior est ratio, causa intellectionis, quæ est intellectus, & intellectio in communi, præ particularibus, utpote universalior: universalia autem sunt priora: ita & tractatio de intellectu & intellectione ut sic, prior erit, præ tractatu de intellectionibus in particulari.

QUÆSTIO I.

De intellectu secundum se.

PRÆMITTO I. *Quid sit intellectus?* Nominis intellectus venit potentia, quæ res intelligit: quæ responsio, secundum phrasin Aristotelicam est, qui docet concreta explicanda esse, per terminos abstractos: ut si quæras quid sit album? bene responderi potest, est id quod habet albedinem: sic & in præsentia, si quæras quid sit intellectus, responderi bene potest, est virtus, quæres intelligit. Quod si quæras quid sit hoc intelligere, id palam fiet, ex infra dicendis, ubi examinabitur quid sit intellectio. Hic ad hoc unum potest, quod si sit impossibilis notitia spiritualis objecti, quæ tamen non sit intellectio, tunc bene describeretur intelligere, per perceptionem objecti spirituale. Si autem non sit impossibilis notitia, spiritualis objecti, quæ tamen non sit intellectio, describeretur intellectio, per notitiam spirituale, etiam abstractorum à sensibus. Consulatur materia de Angelis, ubi discutitur an implicet substantia spiritualis non intellectiva.

PRÆMITTO II. *Quodnam sit objectum in-*

tellectus? Ordinatè ponitur esse verum, sed forte commodius diceretur, quod objectum intellectus sit intelligibile.

RATIO. Tum quia in aliis materiis, objecta, si possit fieri, proportionata etiam quoad nomen ponuntur, aut saltem proportionata quoad significationem; & ita ædificatoris ponitur objectum domus, quæ quoad objectum significationem, idem est quod objectum ædificabile; sutoris objectum est calceus, quod objectum significandi idem est quod subtile. Fremifactoris objectum frenum, & similia. Tum quia sicut scientiæ, per Aristotelem, abscindunt sibi particulas entis, ita & objecta, abscindunt sibi particulas entis, adeoque & objectum intellectus abscindet sibi ens intelligibile. Quia hoc primo per se intendit. Quod ipsam probatur. Quia ens prius dicit prædicatum intelligibilis, quam veri, habetque se verum tanquam passio intelligibilis, non autem intelligibilis est passio veri. Ergo per prius tanquam per rationem priorem, attendet intellectus ad intelligibile, quam ad verum. Tum quia ratio intelligibilis ex eo per prius objicitur intellectui, quia est magis universalis. Quia intelligibile etiam ad falsum extenditur, ad entia item rationis, quibus rigore non convenit veritas. Et licet intelligibile intra eandem entitatem, cum vero & volibili coincidant, sufficit quod ratione formalitatum, reduplicationumque distinguantur, quod in multis etiam materiis evenit.

PRÆMITTO III. *Quomplex sit intellectus?* Si sub nomine intellectus quæras de speciebus variis intellectus, ad hoc responderi potest esse infinitas specie. Quia infinitæ sunt possibiles intelligentiæ, animæque rationales inter se specie distinctæ. Quod si non de speciebus intellectus quæras, sed potius de divisione; alius erit intellectus inereatus, alius creatus, ut Angelicus & noster. Dividitur etiam intel-

intellectus in intellectum agentem & patientem, ex 3. de Anima t. 18. *Est quidam inquit intellectus qui omnia fit*, & sic intellectus appellatur possibilis, patiens, & similia. *Quidam verò qui omnia facit.* Et hic intellectus appellatur agens, quem S. Thomas de Spirit. creat. art. 9. in (-) definit. Quod sit virtus quædam specierum intelligibilium effectrix. Hi tamen duo intellectus, non distinguuntur realiter inter se. Quia nulla est necessitas multiplicandi illos, sed idem intellectus in quantum fabricat species impressas potest dici agens, & in quantum fabricat species impressas potest dici agens, & in quantum fabricat speciem expressam, potest vocari patiens.

PRÆMITTO IV. *Quenam sint numeræ intellectus?* Tria numerantur; illuminare phantasmata, ex intelligibili potentiâ, facere intelligibile actu, seu quod idem est, reddere objectum intelligibile, denique producere species intelligibiles. Sed hoc ultimum negat intellectui Hurtadus quem refellit Oviedo contr. 5. num. 4.

Quid sit illuminare phantasmata, varii variè explicant. Suffecerit dixisse, quando intellectus agens, ad similitudinem phantasmatis materialis, producit speciem impressam spiritualem, hoc ipso illuminat phantasmata materialia; quia scilicet sicut objectum coloratum, non potest movere oculum, nisi accedat lumen, sic nec phantasma materiale, ex communi sententia potest movere intellectum patientem ut cognoscat, nisi educatur species intelligibilis, quam dum producit, illuminat phantasmata materialia facitque ex objecto quod nonnisi in potentia remotiori erat intelligibile, proximè intelligibile, eò quod jam intellectus patiens, omnia habeat expedita, ad producendam intellectionem. Ubi ulterius colligere potes, quòd intellectus agens producendo speciem intelligibilem, quod est officium illius tertio loco numeratum, hoc ipso & illuminet phantasmata, & redeat objectum intelligibile.

PRÆMITTO V. *Quod sit officium intellectus patientis;* Duplex numeratur. Primum recipere species, propter quam receptionem specierum, vocatur possibilis vel patiens. Nam recipere quoddam pati est. Secundum officium ejus est producere intellectionem, propter quod officium æquè bene appellari posset, agens, ut prior, intellectus; licet termini actionis sint diversi; quia prioris, terminus est, species impressa, hujus expressa. Sub triplici tamen formalitate appellari potest hic intellectus passibilis, quia recipit speciem impressam, quia recipit expressam, quia patitur se fieri hoc vel illud intelligibile. Quia intellectus, per Aristotelem, intelligendo, fit omnia, propter quod

etiam appellatur hic intellectus possibilis. Sed

Solvenda sunt objectiones, quæ probant distinctionem realem istorum intellectuum.

DICES I. Dispositiones distinguuntur realiter ab eo quod disponitur. Intellectus autem agens, disponit possibilem ad intelligendum. Quia producit speciem intelligibilem, quæ est instrumentum intelligendi. Ergo distinguuntur agens & patiens intellectus.

RESPONDETUR. Dispositiones quidem distinguuntur realiter ab illo quod disponitur, quia sunt aliquid novum de novo productum, sed non est necesse ipsum disponens ut quod, ab eo distinguatur realiter, quod disponitur. Unde etiam homo dicitur seipsum disponere ad bene operandum. Cum ergo intellectus agens, habeat se sicut id quod disponit, & species tanquam dispositiones, posita distinctione specierum, non erit necesse distinguere ipsum intellectum agentem, qui disponit ut quod.

DICES II. cum Recentiore Suarez. Intellectus & voluntas distinguuntur realiter. Ergo idem dicendum de intellectu agente & patiente. Quod probat. Quia sicut intellectus & voluntas habet diversa objecta, ita & intellectus agens & patiens.

RESPONDETUR. Si diversitas objectorum volubilium, & diversitas objectorum intelligibilium ab intellectu patiente, non infert distinctionem realem in voluntate, & ipsis intellectibus patientibus, sic nec in presenti sequetur; imò cum intellectus agens & patiens habeant se per Suarez sicut agens in actu primo, & sicut agens in actu secundo, hoc ipso sequetur indistinctio. Quia agens in actu primo, & agens in actu secundo, non distinguuntur realiter. Non enim idem ageret in actu secundo, si non posset agere in actu primo, nec posset agere in actu primo, si non idem ageret in actu secundo. Sed Antecedens etiam, ex dictis supra, negandum est.

DICES III. cum eodem. Omnis actio immediate egrediens à potentia cognoscitiva, est cognitio, sicut egrediens à potentia appetitiva est appetitio, sed productio speciei non est cognitio, ergo non potest egredi ab intellectu patiente.

RESPONDETUR. Omnem actionem procedentem immediate à potentia cognoscitiva, sub nomine cognoscitiva, esse cognitionem, licet sub alio nomine, à potentia cognoscitiva egrediens, possit non esse cognitio. Ita lectio Philosophiæ, non egreditur ab homine nisi quæ Philo-

Philosophus, licet visio non egrediatur ab illo, nisi quā sensitivus, est. Quamvis verò nulla potentia constituat se in actu primo, ad primam sui operationem, per operationem ejusdem rationis, quia ante primam operationem daretur prior, nempe per quam se poneret in actu primo; potest tamen se ponere in actu primo, ad primam operationem, sed per operationem diversā rationis. Sic v. gr. ad primam volitionem, non potest se in actu primo ponere homo, per antecedentem volitionem, potest tamen se ponere in actu primo per antecedentem intellectiōnem: ita & intellectu ponit se in actu primo ad intelligendum per suam operationem, quæ non est quidem intellectio, est tamen requisitum ad intellectiōnem, hoc est species impressa.

DIFFICULTAS I.

An sit possibilis intellectus materialis? et an omnis substantia spiritualis sit intellectiva?

PRior pars tituli hunc sensum habet: An possit dari potentia materialis, distincta specie, à presentibus potentiis, quæ attingat res spirituales? De hac quæstione ago in prima parte, querendo an oculus corporeus possit elevari ad videndum DEUM? Secunda etiam pars tituli discutitur in materia de Angelis, ubi inquitur: An ex esse illorum spirituali, recte inferatur intellectivitas, illuc remitto legentem, sed pono titulum, methodi nonnisi causa.

DIFFICULTAS II.

An sit possibilis intellectus determinatus nonnisi ad unum cognoscendum?

Affirmat Arriaga & Oviedo. Negat Recentior Suarez.

ASSERO I. Non posse dari ullam implicantiā, quæ probet impossibilitatem intellectus, ita determinati. Desumo aliquas ex Recentiori Suarez.

PRIMA IMPLICANTIA est. Quia objectum intellectus est verum, omne autem ens est verum, Ergo omne Ens contineri debet intra objectum cujuscunque intellectus.

RESPONDETUR. Negando Majorem hoc sensu, quod cujuscunque intellectus, quodcunque verum sit objectum, licet presentis intellectus objectum sit verum. Et si ex conditione supernaturalitatis objecti sit, ut ad verum supernaturale, quā tale, non se extendat intellectus naturalis; cur etiam ex conditione talis intellectus, & conditione talis objecti, non determinabitur ad non noscenda aliqua.

SECUNDA IMPLICANTIA. Non magis distat omne Ens ab intellectu possibili, quā di-

stat Deus ab intellectu humano, qui defacto datur, sed Deus continetur intra objectum intellectus humani, qui defacto datur. Ergo & omne Ens, continebitur intra objectum cujuscunque intellectus possibilis.

RESPONDETUR. Quod non ex distantia & perfectione Entium, oriatur, ne ad illa noscenda extendat se intellectus ille, sed ex conditione eaque naturalis, secundum quam determinatur, ad hæc Entia cognoscenda, quam conditionem Entis non posse dari, non probatur. Sic v. gr. quod oculus non possit percipere sonum, non oritur hoc ex distantia perfectionis, quam habeat sonus præ lucido colorato, sed ex naturali conditione oculi, ad hoc determinati.

TERTIA IMPLICANTIA est. Nullum est lucidum & nullum coloratum quod non sit intra objectum potentie visivæ, Ergo & omne verum erit intra objectum cujuscunque intellectus possibilis.

RESPONDETUR. Incertum esse, quod aliquod lucidum, & aliquod coloratum, non possit esse tale, quod excedat aliquam particularem visivam: & sicut clarus intuitus solis, non excedit oculos aquilæ, excedit oculos vespertilionis; sic aliquam potentiam visivam, aliqua ratio colorati excedere poterit. Nec apparet implicantiā, cur implicet oculus, qui nonnisi album videat.

QUARTA IMPLICANTIA est: quam solvit Arriaga. Quia si concedatur intellectus determinatus ad unum tantum cognoscendum, nulla esset ratio, propter quam dicamus, nostrum intellectum, qui defacto datur, non esse determinatum ad certa aliqua cognoscenda, & tamen hujus deberet dari aliqua ratio.

RESPONDETUR Cum Arriaga. Vel nosti per experientiam, aut per rationem, quod intellectus noster, sit capax cognoscendi quæcunque Entia, vel non nosti? Si non nosti, Ergo neque nosti, non posse dari intellectum determinatum ad certa tantum cognoscenda. Si autem nosti: Scis cur Intellectus noster, nō sit determinatus? Implicantiā autem aliunde non habes, cur Intellectus, determinatus tantum ad aliqua noscenda, dari non possit. Addit, cum videamus rationes communissimas, nostrum intellectum cognoscere, quibus communiores possibiles non sunt: cum item videamus, quod cognoscant spiritualia & corporea, bene inferimus, non esse determinatum ad certa tantum cognoscenda.

INSTABIS. Non possumus scire, quod non detur aliquod objectum, quod Intellectus noster percipere non possit. Quia de illo, quod esset extra objectum Intellectus, nulla potest esse notitia. Hinc nec nos dicere possemus, an illud cognoscere possimus, vel non? Illustrat hoc Oviedo. Fingamus per impossibile casum, quod extra objectum cognitionis Petri sint Angeli, tunc Petrus non posset dicere, Angelus est

† (O)

extra

extra objectum mei intellectus. Ergo etiam forte dari poterit aliquod Ens, de quo homo dicere non possit: hoc Ens, est extra objectum cognitionis meae, licet defacto esset extra objectum cognitionis.

RESPONDETUR. Negando quod praesens intellectus, non possit scire, quod non detur aliquod objectum, quod intellectus noster percipere non possit. Nam illud quod esset extra objectum cognitionis, vel foret Ens, vel non Ens: Si non Ens, adhuc sub ratione non Entis poterit ab Intellectu nostro concipi, qui concipit rationes communes non Entis. Sierit Ens: Ergo adhuc sub ratione Entis concipi poterit. Quia rationem communem Entis concipit Intellectus. Et hoc demonstrat, nostrum intellectum, secundum rationes communes, sub quibus quidquid possibile est, necessario includitur, quodcumque Ens vel non Ens, concipere posse. Hinc si per impossibile, nullo modo Angelus esset intra objectum intellectus nostri, deberet non concipi ab Intellectu etiam ratio communis Entis. Sed si de rationibus particularibus res sit, illas defacto nescimus, scire tamen possumus: & ipsae veritates supernaturales sunt tales, quas nescimus naturaliter, tamen scire possumus elevati. Omnia enim haec, continentur, sub ratione communis Entis.

ASSERO II. Nullum esse fundamentum positivum possibilitatis talis intellectus, qui sit essentialiter determinatus ad unum non nisi cognoscendum. Probatio asserti, stat solutione rationum in oppositum.

I. RATIO est Arriaga. Non quolibet potentia materialis, potest cognoscere omnia objecta Materialia ut patet in sensibus. Ergo non quolibet potentia Spiritualis potest cognoscere omnia objecta spiritualia.

RESPONDETUR. Negando Consequentiam. Quia experientia probat hanc determinationem, pro consequentia autem, non est haec experientia, nec positivum fundamentum. Deinde sicut ab impossibilitate unius, non tenet consequentia ad impossibilitatem alius, nisi detur commune aliquid fundamentum, ita nec tenebit, a possibilitate unius, ad possibilitatem alius, nisi ponatur commune utrique principium, quod hic non ponitur.

II. RATIO ejusdem est. Datur res spiritualis cognoscitiva omnium, qualis est Deus, & ponamus etiam nostrum Intellectum. Datur etiam res spiritualis objecti non cognoscitiva, qualis est v. g. character, cur etiam dari non poterit Ens medium, quod scilicet aliqua cognoscere possit, aliqua non possit.

RESPONDETUR. Hoc argumentum non esse secundum intentum. Quia haec quaeritur aliquod fundamentum positivum, Ly autem cur dari non poterit, est fundamentum negativum.

Quod attinet ad fundamentum Negativum. Illud est & pro parte affirmantium, & pro parte negantium.

Dices enim non implicat contradictionem Intellectus, non nisi ad certa objecta cognoscenda determinatus. Respondet alter, quod implicet; & dicit; quod ille intellectus & esset essentialiter determinatus ad certa non nisi noscenda, ut supponitur, & non esset essentialiter determinatus; quia non implicat, ut id, quod certum aliquid cognoscit intellectualiter, cognoscat & alia: & non implicat, ut sit necessaria connexio cum quocunque cognoscibili, si ponatur in aliquo vel unius Entis cognoscitivitas. Redibis ad tuum argumentum. Quia non implicat ut cognoscitivitas unius Entis, non sit connexa essentialiter, cum cognoscitivitate aliorum Entium. Respondet retorsio. Quia debita illi Enti cognoscitivitas, & non diceret connexionem, cum cognoscitivitate aliorum Entium, & diceret. Non diceret ut supponis, diceret autem, quia non implicat contradictionem ille nexus, En fundamentum negativum utrique parti feruens. Quod si dicas eo modo retorquendi, non relinqui locum argumento huic negativo, non implicat contradictionem, ad hoc dici potest, relinqui quidem, sed ejus libertatem restringi, praecipue in impugnando communes sententias, & reducendo ab eis, sine urgenti necessitate.

DIFFICULTAS III.

An omne Intellectivum sit volitivum?

DICENDUM est. Non dari ullum positivum fundamentum, asserendi, quod ratio intellectivi, necessario involvat, rationem volitivi. Procedit conclusio non de istis, quibus identificatur ratio intellectivi & volitivi, sed procedit, casu, quo haec potentiae essent distinctae, aut rigorosiùs loquendo, de Natura possibili, identificante sibi, non nisi vim intelligendi. Probatio Conclusionis stat solutione argumentorum.

Punctum Difficultatis 1.

Examinantur implicantiae.

PRIMA IMPLICANTIA est. Quae utitur Amicis tom. 1. disp. 24. S. 1. Implicat Ens non inclinare ad bonum sibi conveniens, Ergo implicabit & Intellectum sine volitivo. Nam voluntate inclinatur Ens intellectivum, ad bonum apprehensum sibi conveniens. Antecedens ipsum

ipsum probat. Quia Ens illud intellectivum, non est determinatum ex se ad unum bonum, sed indifferens ad plura. Quia saepe unum idemque bonum, uno tempore, eidem supposito est conveniens, aliò disconveniens. Item uni supposito bonum, alteri malum, appetitus autem innatus, fundatus in natura, est determinatus ad unum & idem bonum.

RESPONDETUR. Negando impossibilem esse naturam intellectualem, ad unum bonum determinatam, adeoque appetentem illud bonum, non nisi appetitu innato. Rursus bonum principale semper quidem appetit determinatè appetitus innatus; sed hoc etiam competit appetitui elicito. Si v. g. spectetur per ordinem ad bonum in communi, quod tenetur amare appetitus elicitus. Nego tamen quod appetitus innatus, eodem semper modo agat, ad consecutionem boni sui primarii. Et ita granum appetitu innato, nunc se in terram fodiat fibralis, nunc erigit ex terra, nunc potius se in spicam impendit quam in culmum; cur ergo etiam intellectivum, carens appetitu elicito, non poterit similem varietatem habere appetendi, idque per solum appetitum innatum.

SECUNDA IMPLICANTIA est, qua utitur Recentior Suarez. Tract. i. Met. num. 58. Intellectus est radix voluntatis. Sed impossibile est radix non exigens proprietatem, Ergo impossibile est Intellectivum sine volitivo. Majorem dicit se probasse tract. 6. de Anima. num. 186. Sed illic tantum ad argumentum responder, & assumit non nisi, quod Intellectus non sit formaliter, sed radicaliter liber.

RESPONDETUR. Negando universaliter Majorem, & sicut nostrum intellectivum fundat risibile in nobis, non tamen in Deo vel Angelis, ita & præsens intellectivum, fundat volitivum, sed non sequitur, quod in omni alia specie, fundare debeat. Quamquam intellectus nostrus, hoc non nisi sensu potest dici radicaliter liber, quod indifferenti utriusque objecti propositione, causare possit, ut liberè se determinet voluntas. Sed non in hoc sensu radicaliter est liber, quasi sit universaliter & ubique radicans, & fundans volitivum; hoc enim negatur.

TERTIA IMPLICANTIA est. Ex istis quæ proponit sibi & solvit Oviedo; quale illud est. Intellectus ordinatur ad voluntatem, voluntas ad intellectum, Ergo non possunt sine se dari.

RESPONDETUR negando dari inter ista essentialem ordinem, si enim illæ potentiae identificantur, non possunt alium ordinem dicere, quam rationis; Si autem sunt distinctæ realiter, multò magis poterunt esse sine se. Deinde sicut animalitas Petri, ex specifica ratione, connectitur essentialiter cum rationalitate; neque ta-

men sequitur ut similis animalitas, non connectatur cum rationalitate, ita quamvis præsens intellectivum, connectatur cum volitivo, non sequitur, ubique, etiam in alia specie, connecti debere.

INSTABIS I. Omnis forma debet habere appetitum proportionatum sibi, creatura rationalis habet actum rationis, Ergo debet habere appetitum elicito.

RESPONDETUR. Si per proportionatum appetitum, intelligatur appetitus elicitus liber, falsa est prima propositio, & petens principium; Si per proportionatum appetitum, intelligatur etiam innatus, vera erit prima propositio, sed non faciet contra nos, nego enim implicare contradictionem, ut cum principio intellectivo conjungatur solus appetitus innatus.

INSTABIS II. Principium perfectissimum cognoscens, quod est DEUS, & imperfectissimum quale est brutum, utrumque est potens appetere. Ergo de ratione omnis cognoscitivi est appetere.

RESPONDETUR. Perfectissimum cognoscitivum intellectuale, hoc est Deus, & imperfectissimum quod est homo, generat. Ergo de ratione principii cognoscitivi erit generare, adeoque etiam Angelis id conveniet. Sicut ergo generatio, fundatur non nisi in speciali conditione talis Entis, ita & volitivum fundabitur non nisi in speciali conditione intellectivi.

INSTABIS III. Quia frustra Anima videret cibum, si non posset illum appetere; ita cum finis intellectivi, sit, proponere objecta amplectenda, & fugienda, frustra id faceret, si non datur voluntas.

RESPONDETUR. Ratio non nisi particularis intellectivi, habet hoc, ut proponat objecta fugienda, & amplectenda, non esse autem id, ex ratione, ut sic intellectivi. Deinde sicut dantur scientiæ sistentes in sola speculatione veri, sine ulla relatione ad voluntatem, & praxim, cur etiam similis non poterit dari potentia intellectiva.

QUARTA IMPLICANTIA est. Quando potentia perfectior respicit idem objectum, quod imperfectior; debet circa illud versari modo perfectiori, sed sensus bruti, qui est imperfectior omni intellectu, respicit suum objectum, cum vi eliciendi appetitum, circa ipsum objectum, Ergo multò magis quodcunque intellectivum, respicit illud objectum, cum vi eliciendi appetitum, circa illud objectum.

RESPONDETUR. Veram esse propositionem assumptam, de præsentibus intellectivis, non autem de possibili, adhuc tamen intellectivum illud sine volitivo, esset perfectius, sensitivo, habente appetitum elicito, adhuc inquam esset perfectius, ex ratione Spiritualis, conditioneque specifica suorum prædicatorum.

† (O) 2 QUIN-

QUINTA IMPLICANTIA est. Existis quæ proponit Antonius Perez de voluntate DEI à num. 18.

Prima ejusdem ratio est ex Sancto Thoma. Omne cognoscitivum tendit in suum bonum. Sed nisi haberet voluntatem non tederet in bonum. Quia nisi haberet voluntatem, non haberet appetitum, quo tenderet aut perseveraret in bono apprehenso. Et certè qui apprehendit aliquid esse bonum, infert consequentiam practicam, qua judicat esse illud prosequendum, Ergo ratio boni apparentis, in suo conceptu includit saltem impliciter convenientiam ad apprehendentem; alioqui male inferretur illa consequentia; quia consequentia nulla est, cujus antecedens, non includit connexionem cum consequenti. Deinde impossibile est intelligere & judicare optimum existere in rerum natura, quin statim ex ipsa ratione optimi apparentis, non judicetis, cui apparet illud bonum, esse illud à se appetendum summum.

RESPONDETUR. Ponamus v. gr. scire nos per revelationem, quod DEUS nolit concurrere ad ullam volitionem, ponamus nos prædeterminatos, ne quidquam velimus, certè tunc per necessariam sequelam, non sequetur appetitus apprehensio boni, imò sequetur ne appetatur. Sicut ergo in illis instantiis in aliquid extrinsecum, rejici poterit negatio sequelæ, ita in præsentia, negatio appetendi, referretur in conditionem intrinsecam Entis, salvo hoc, quòd illud objectum maneat appetibile; & sicut nunc libertas potest impedire, ne ametur etiam summum bonum, sed abstractivè cognitum; cur ergo simile impedimentum dari non poterit ex intrinseca conditione Entis, impotentis velle: Ex visione etiam Dei seu apparentia, bene quidem pronunc infertur beatificatio videntis, etiam per voluntatem, non tamen pro omni eventu; & sicut si Deus per miraculum impediret voluntatem, ne amet posset adhuc bene salvari ratio videntis; cur ergo simile impedimentum non posset referri in intrinseca principia illius naturæ, non potentis velle, ut jam repetito dictum. In forma autem dici debet, verum esse antecedens de appetitu innato, sed concedo quòd illud noscitivum, non appetitivum autem appetitu elicitò, sit futurum appetitivum appetitu innato; qui potest haberi sine voluntate. Ex apprehensione boni in præsentibus cognoscitivis, infertur consequentia practica, de bono illo prosequendo, sed nego impossibilem esse apprehensionem boni, sine illa practica consequentia.

Quando autem dictum est, notitiæ illi coniungi appetitum innatum, non ita id accipiendum, quasi ex directione apprehensionis, sequatur appetitus ille, hoc enim ipso appetitus ille fo-

retelicus, sed hoc eo sensu accipiendum, quòd conjungatur non nisi appetitus innatus, illi notitiæ, licet ex notitiâ non sequatur, sicut in nobis cognoscitivis formas, datur appetitus innatus materiæ ad eandem, conjungiturque illi notitiæ, licet ex ea non sequatur, hocque sensu Omne cognoscitivum tendit in suum bonum: hoc est, intelligibile vel verum; verum enim est bonum cognoscitivum. Sed non hoc sensu cognoscitivum tendit in suum bonum, quasi omne cognoscitivum habeat vim appetendi, id enim esset non probare, sed petere principium.

SECUNDA RATIO ejusdem est. Quia si esset possibilis talis natura, jam daretur, quia Deus fecit omnes gradus rerum possibiles, quorum existentia melior est, ad complementum universi, si non adit ratio impediens debitum existendi, qualis v. gr. esset ratio processus in infinitum, præcipue verò quia existentia illius, est melior quàm non existentia, imò est utilis, ut maneat distinctus in rerum natura ordo, gradus intellectivi, à gradu volitivi.

RESPONDETUR. In materia de Angelis, tam de complemento universi, quàm in examinando, an Angelorum Spiritualitas importet esse intellectivum, negatum est hoc principium, ubi dictum, completionem universi, non debuisse esse secundum naturam rei, sed secundum placitum conditoris, quarum scilicet ipse vellet completionem. Et sicut non dantur defecto multæ species intermediæ brutorum, sic nec erat necesse, dari speciem illam intellectivi, cum quo stat, ut universum hoc non sit imperfectum positivè, licet sit imperfectum negativè, hoc est non habens perfectiones, quas posset habere plures in infinitum. Arbitrariè etiam assumit quòd creaturæ quæ defecto dantur, sint ultimæ & penultimæ, cum in infinitum imperfectiores dari possint. Illud etiam principium non est illativum actualis existentia, quia scilicet alicujus existentia, melior est quàm ejus non existentia. Nam unio hypostatica, cum sola anima & non cum corpore, melior est quàm negatio unionis. Melior est etiam multiplicata per singula individua, quàm negatio illius, neque tamen hæc varietas unionum datur. Alia, quæ in hac ratione, assumit, in materia de Angelis, locis citatis, examinata sunt.

TERTIA RATIO ejusdem est. Omne Intellectivum potest videre Deum. Ergo & amare, alioqui & esset beatus ut supponitur, possideret enim summum Bonum; non esset autem beatus, quia illud bonum possideret sine ulla æstimatione, judicaret enim non posse à se amari, ac proinde non esset dignum suo amore.

RESPONDETUR. Antecedens non ita facile positivè posse probari, si quis putet, ex speciali luatione, posse aliquod intellectivum esse determinatum non nisi ad noscenda creata. Sed quidquid sit de

sit de Antecedenti, negatur consequentia, diciturque quod tunc creatura illa esset incompletè beata; quia completio beatitudinis, proficiscitur à voluntate. Quanquam posset dici, quòd per ordinem ad se haberet beatitudinem completam, quia implicaret illi compleri per actum amoris. Et licet possideret bonum sine ulla aestimatione, oriunda ex appetitu voluntatis, haberet tamen aestimationem intellectualem, ex penetratis illius objecti prædicatis. Et quia voluntas non aestimaret illud objectum, suæ voluntatis actu, non attolleret bonum, sed etiam non depreiaret illud, & illa negatio aestimationis, oriretur ex conditione Entis. Et sicut cum ego dico non posse me amare Deum, ita sicut ille se amat, non sequitur in me contemptus talis amoris, nec judico Deum esse indignum tali amore, sed illud iudicium solum arguit in me perfectionem, & non in objecto, ita & in præsentis, si illud noscitur iudicaret non posse illud bonum à se amari, non hoc ipso diceret, esse illud indignum amore.

Punctum Difficultatis 2.

Continuatur Difficultas.

QUARTA RATIO ejusdem est. Tota ratio cur aliquid non ametur, est, quia perfectè non cognoscitur, ut patet inductione, consequenter verum est, quòd adæquata ratio possibilitatis, amandi seu appetendi, sit cognitio, consequenter omne cognoscitivum erit appetitivum.

RESPONDERI potest, pro præsentis rerum esse Antecedens. Rursus dici posset, rationem adæquatam tenentem se ex parte objecti, debite applicabilis voluntati, esse propositionem objecti cogniti; nihilominus negando rationem adæquatam amandi, tenentem se ex parte principii, esse propositionem objecti cogniti, sed tale principium esse voluntatem, quam non implicat, non esse in aliqua substantia intellectuali. Deinde alia est hæc propositio, an sit possibile amare non cognoscendo, & hanc propositionem firmat ratio adlata: & alia est hæc propositio, an possit aliquid cognitum non esse amatum, & cognoscens non esse amans; quæ propositio non probatur, licet de ea sit quæstio. Neque sequetur, illam propositionem objecti amabilis, quam non posset sequi amor, fore frustra. Quia sufficeret habere expressionem intentionalem illius boni, quantum est ex illo, appetibilis. Deinde intellectus, de quo hic agitur, posset iudicare bonum illud esse amabile, non à se, quia hanc vim non habet, sed ab alio; ut sit cum intellectus meus iudicat Deum esse amabilem amore increato, quem tamen ego ponere non possum.

QUINTA RATIO est, quâ utitur Esparza de Angelis q. 17. art. 3. Quia Deus cum sit ipsa essentia Bonitatis, quidquid operatur, operatur ex intentione boni, & omnia ordinat ad bonum, quantum & qualiter unum quodque capax, nec oppositum contingere potest. Ergo eadem necessitate quâ rebus sensu & intellectu carentibus, indit appetitum innatum, indet etiam appetitum sensitivum sentientibus, & rationalem ratione præditis.

RESPONDETUR, negando consequentiam. Quia potest cum hoc stare, ut Deus omnia operetur, ex intentione boni, nec tamen det omnibus intellectualibus substantiis, appetitum elicito ad bonum, stante bonitate talium substantiarum, in appetitu non elicito sed innato ad bonum. Dico enim non implicare contradictionem, ut Deo operante ex intentione boni, nihilominus sit creatura rationalis non appetitiva. Implicat quidem etiam per arguentem, creatura, non habens appetitum innatum ad bonum, sed hæc implicancia non ostendit implicare creaturam, non habentem appetitum elicito ad bonum. Et certè appetitus innatus est in materia ut sit potentia formatum, qui ipse appetitus, est exigentia prædicatorum, exigentia autem prædicatorum, est ipsummet illud ens, quod sicut à seipso abesse non potest, ita nec ab illo abesse potest appetitus innatus. Nihil autem simile militat pro appetitu elicito, concedendo materiæ; ita nec sequetur ex eo, quia implicat substantia intellectualis, non appetitiva appetitu innato; implicare substantiam intellectualem non appetitivam appetitu elicito. Unde ulterius conceditur, in tali creatura fore appetitum innatum rationalem, non hoc sensu, quasi sit ex prælucente ratione sequens, sed rationalem, hoc est identificatum enti rationali. Vicijus, licet in aliquo illa substantia sit superanda, à sensitivis, quæ ordinantur ad suum bonum, per actum elicito, nihilominus aliis prædicatis, nobilitateque substantiæ rationalis, cui identificatur appetitus ille innatus, superabit sensitiva.

INSTAT idem. Sensus & ratio sunt ad opposita? appetitus autem innatus, est ex suo conceptu determinatus ad unum, Ergo non sufficit ordinari in bonam illam substantiam rationalem per solum appetitum innatum.

RESPONSUM supra, quòd non semper sit determinatus appetitus innatus, ad eundem modum agendi. Deinde nego impossibile esse creaturam, ejus appetitus non coæquetur varietati noscendi, ita, ut vis ejus noscitiva, extendatur ad plura; vis autem appetendi appetitu innato, extendatur ad pauciora. Non apparet item, cur appetitus innatus sit ad unum; materia enim tot specie distinctas formas substantiales appetit, & præter formas substantiales, appetit tot accidentales. Lapis item appetit deorsum,

† (O) ;

sum,

sum, appetit tale frigus, appetit tale pondus, &c. Cur ergo simili varietate, illud noscitur non volitivum, non appetit sibi bona appetitu innato? Denique non implicat noscitur, determinatum ad unum appetendum, appetitu innato.

INSTAT II. Idem. Bonum apparens, est quoddam genus bonitatis, distinctum realiter à toto genere bonitatis purè Physicæ. Unde etiam si malum sit in se, potest illi superaddi peculiaris aliqua ratio bonitatis. Necesse igitur est, ut detur peculiaris vis appetitiva, in quocunque datur intentionaliter objectorum perceptio, ne detur aliqua ratio bonitatis in aliquo, ad quam ipsum non sit congruenter ordinatum.

RESPONDETUR. Concedendo bonitatem apparentem, esse distinctam à vera, Nego tamen contradictionem implicare creaturam, quæ nec apparet nec verum bonum prosequatur licet illud noscat. Nego idem implicare contradictionem, esseque hoc essentialiter incongruens, ut aliquid ordinetur ad bonum non nisi cognoscendum, adeoque ordinatione cognitionis licet non ordinetur ordinatione appetitionis elicitæ.

VI. RATIO ejusdem est. Intellectivum est perceptivum contradictoriorum, complectiturque totam rationem entis universaliter, necesse igitur est, ut illi sit adjuncta vis appetitiva, similiter universalis, ut flecti similiter possit ad opposita, alioqui esset essentialiter frustra vis ejusmodi oppositorum perceptiva.

RESPONDETUR. Negando Consequentiam, non erit autem illa vis essentialiter frustra, quia habebit suum effectum ad quem ordinatur nempe verbum mentis, & sicut actum ipsum voluntatis, non est necesse ad aliquid aliud ordinari intentionale, sed per illum devenitur ad quietem actus, cur ergo ad simile prædicatum, quietis, non poterit perveniri ipso verbo mentis.

INSTAT Idem. Modus & quies circa bonum suum, debet esse magis vel minus perfectum, juxta mensuram perfectionis Entitativæ, convenientis unicuique. Quia bonum, cujus est capax aliquid, in se perfectius, est & ipsum perfectius ac majus. Motus autem ad bonum majus, est major, & major quies in eodem: oportet igitur ut detur in Intellectivo tum motus, tum etiam quies circa omnem rationem bonitatis, hoc autem non competit appetitui innato. Quia cum appetitus innatus, insit uniformiter rebus etiam vilissimis, ex suo conceptu est vilissimus.

RESPONDETUR. Etiam in appetitu innato, est quidam Metaphysicus motus & quies, quem solum motum & quietem Metaphysicam in bono, non implicat contradictionem connecti rationali. Et licet ille, ex conceptu suo generico, sit vilissimus, ex differentiali tamen ratione, potest esse præstantissimus; idem-

tificaretur enim prædicatis creaturæ rationalis. Et sicut vilissimum est prædicatum Entis, est enim quibuscunque conveniens, nec tamen excluditur illud à præstantissimis Entibus, quia vilitas illius attollitur, per talitates Entis & differentias, sic etiam attollitur & vilitas appetitus innati, in creatura rationali.

VII. RATIO ejusdem est. Quia substantia purè intellectiva & non volitiva, foret inutilis universo, omnibusque intrinsecè ædiosa, quæ contra observaret, atque observando ita semper stupidè hæreret, ut nulli rei, ne quidem sibi, quidquam unquam provideret.

RESPONDETUR. Sicut creaturæ, nullo modo cognoscitivæ, non sunt ædiosæ universo, etsi illis exprobetur, quod nec velint, nec cognoscant, defendere se poterunt, suam esse talem naturam; ita & creatura rationalis non volitiva, defenderet se suam naturam, & quod non esset otiosa, in universo, vindicaret se actuali notitiâ.

INSTAT idem. Vis intellectiva est vis adductiva omnium in indiscriminatum ad se, quia intelligens actu, est intellectum in actu. Ergo necesse est ut in Intellectivo, detur appetitus similiter universalis, & commensuratus universalitati intellectivæ, alioquin aliquod bonum perperam inesset alicui. Non enim adhærere posset modo adhesionis, qui congrueret modo habitationis.

RESPONDETUR. Ut modo habitationis congruat modus adhesionis, sufficere vim assentiendi, vel dissentendi intellectualem, non enim implicat ut habito per speciem expressam objecto, non habeatur adhærentia per volitionem, & ut in intellectu universalis, addatur appetitivum universale, proficiscitur id, non ex ratione intellectivi ut sic, sed talis intellectivi.

Punctum Difficultatis 3.

Quid sentiendum de fundamentis in oppositum?

EXaminanda hinc sunt fundamenta, an sint scilicet aliqua, quæ positivè probent possibilitatem intellectivi sine volitivo.

Primum fundamentum est ex Perez. Possibile est esse intellectiōem, quæ non sit principium effectus. Ergo similiter possibile erit intellectivum sine volitivo. Antecedens probatur: Decernat Deus (quod potest) nullam producere volitionem creatam, reveletque hoc decretum Petro, qui id per actum fidei credat, hic actus fidei non potest esse principium volitionis, non enim potest esse principium actus, qui si existat, reddat falsum eundem actum fidei.

RESPONDET I. Perez, postquam refutasset responsiones Herise, quod scilicet casus pro-

propositus impossibilis sit. Et non esset enim productivus effectus ut supponitur, & esset ut probatum. Immo hæc argumentatio petit principium; perinde, atque si quis, ut probaret non repugnare actum fidei, qui non possit habere v. g. durationem, aut qui non posset à Deo destrui, assumeret posse existere actum fidei, qui de se certissime affirmeret, se nihil horum posse. Deinde revelare illud prædictum Decretum, perinde est atque producere actum, qui non possit producere effectum, hoc autem repugnat ex propria ratione actus fidei. Quid enim est, inquit Augustinus, tam voluntarium atque credere. Essentialiter enim omnis actus fidei dependet ab imperio voluntatis. *Hæc responsio*

NON SATISFACIT. Tum quia, non est probatum, implicare actum intellectus, sine sequente se volitione; nego item implicare, ut tale decretum formet DEUS. Tum quia falsum est peti principium prædicto arguendi modo. Recurrit enim ad principium, non implicat, quod non petit principium. Sicut neganti possibilitatem hominis, bene assumeretur non implicare eundem. Tum quia quamvis defacto fides sit voluntaria, cur imperium illud voluntatis, per exhibitionem concursus, aut prædeterminationem, suppleri non possit. Deinde, quamvis dicatur, de ratione actus fidei, esse voluntarium, explicari id posset, de voluntario Antecedenti, hoc est imperio voluntatis moventis intellectum, ut assentiatur sed non de voluntario consequenti, quasi omnis actus fidei, principiet actum voluntatis.

RESPONDET II. Elparza citatus ad idem, Universaliterque dicit non esse possibilem aliquam intellectiōem, quæ non sit inductiva aliqujus volitionis, quia quælibet intellectio, percipit & iudicat se esse veram, allicit ergo per se ipsam ad amorem sui, immo hoc faciunt vel maxime cogitationes speculativæ, nemo enim est cui speculationes suæ non placeant perfecte, unde etiam arguit, revelationem, de qua agit argumentum, esse arbitrarium. Quid enim absurdius esse potest, quam DEUM supernaturaher illuminare intellectum alicuius, ita, ut placere illi nequaquam possit, talis illustratio & revelatio Dei. Addit insuper, licet essent posibles intellectiōes essentialiter steriles affectuum, non sequitur impossibilem esse substantiam intellectivam, & non volitivam; quia perfectiones accidentales, non participant adæquatè, totam sui generis perfectionem, sed multiplicantur cum inadæquata ejus participatione, prout interest substantiæ, cui insunt; at substantia existit gratiæ sui, & est quid perfectum in genere suo, unde si inter sit intellectivo, potest habere notitias non ordinatas, vel ordinatas ad volendum: at fieri nullo pacto pote-

rit, ut nullas habere possit intellectiōes feraces affectuum. *Hæc responsio*

NON SATISFACIT. Tum quia illa delectatio perceptibilis ex notitia veri, per aliquos ad intellectum spectat, docetque Perez, ab ipsa manu percipi delectationem, & non ab appetitu solo. Sed posito etiam quod spectet ad voluntatem, rediret argumentum, quod non implicet contradictionem, ne sequatur illa delectatio. Tum quia, concedo quod unaquæque intellectio, allicit amorem sui, quod sit aptum objectum ut ametur à volitivo rationali, sed nego quod hoc sensu allicit, quasi impossibile sit, eam non amari ab eo, qui eam producit. Nego item impossibile esse, ut Deus illuminet revelatione intellectum, quin ei, cui revelatio facta, placeat revelatio. Tum quia hoc ipsum adhuc improbatum manet, quare inter sit substantiæ intellectivæ, idque essentialiter, ut sit simul volitiva. *Hinc prædicto argumento*

RESPONDETUR aliter. Concedendo, quod sint quædam notitiæ, quæ etiam per se non moveant voluntatem, eò, quod non proponant, nec attingant bonum quæ tale; concedo item aliquas esse notitias, quæ per accidens, non adiungunt sibi volitiones, idque, vel quia decretum DEI, aut revelatio in oppositum facta est, vel quia distractio aliqua intercessit, præcipue quia sunt isti actus realiter distincti, cur ergo unus, non poterit dari, sine alio. Et sicut datur cognitio, quæ non semper ordinatur ad opus, cur etiam non poterit dari cognitio, non ordinata ad volitionem? Et ita posita illa revelatione, ex accidenti non potest sequi actus voluntatis. Ad consequentiam quod attinet, illa etiam non tenet, quia hæc queritur positivum fundamentum, cur sit possibile intellectivum sine volitivo; mera autem paritas, non est positivum fundamentum. Quia non adfert commune aliquod principium antecedenti & consequenti, nisi merum repugnat vel non implicat; hoc autem non est positivum, quod queritur fundamentum. Deinde, quod saltem ex accidenti, possit non sequi intellectiōnem volitio, experientia probat, quæ est fundamentum positivum probandi, posse esse intellectiōnem sine volitione nulla autem talis experientia probat, separationem intellectivi à volitivo.

Secundum Argumentum est. Actus sensuum externorum, non producit affectum, alioquin in oculis & auribus esset appetitus.

RESPONDET I. Perez. Certum sibi esse, quod sit in organis sensuum externorum appetitus, non quidem prosecutionis futuri boni, sed præsentis per delectationem aut tristitiam, quando enim dolet manus, dolet manus, &c.

Hæc responsio

† (O) 4

NON

NON SATISFACIT. Tum quia dicere, quod insit sensibus externis delectatio, est idem ac dicere; quod in noscitivo sit delectatio & voluptas, quod nostri auctores respuere debent. Tum quia posito quod sensus delectentur, delectatio illa erit, non sequens ipsam perceptionem objecti, sed in ipsa perceptione objecti inclusa. Porro quando discurretur, an intellectivum inferat volitivum, & delectativum, non discurretur de delectativo incluso in ipsomet actu intellectiōis, sed de delectativo consequente Tum quia hoc ipsum quod dicit sibi certum Perez, probare debuisset ratione, quæ non adfertur. *Ideo*

RESPONDETUR aliter argumento. Illud imprimis eò quod à pari sit ut dictum supra, non esse fundamentum positivum quod quaritur; Deinde disparitas etiam hoc dari posset, quia licet non detur appetentia ulla, singulis sensibus adstricta, bene hoc suppleri posset, per ipsum appetitum sensitivum, cui illæ notitiæ particularium sensuum deserviunt. Si autem esset intellectivum aliquod, non tamen volitivum, defectus ille sequentis volitivi, à nullo posset suppleri.

INFERES. Non doceri à nobis quod possit dari intellectivum sine volitivo, sed solum ostendi, quod id non probetur pro utraque parte demonstrativè. Loquendo autem de ipso objecto, sentiendum est: quod non possit dari intellectivum sine volitivo. Ratio quia ex una parte videmus inseparabilem connexionem inter noscens & volitivum & pro opposita parte nullum est fundamentum positivum, mera ergo erit divinatio contra sensum talium Doctorum, asserere quod hæc separabilia sint, in aliquo rerum ordine, etiam possibili.

QUÆSTIO II.

De Intellectione in communi.

SUB hoc titulo hoc discutienda erit natura intellectiōis, quod ut fiat:

PRÆMITTO I. *Tria spectari posse in intellectiōe.* I. Actionem ejus productivam. II. Terminum ejusdem. III. Unionem intellectiōis cum intellectu. Et quidem hæc tria varia possunt fortiri nomina; actio enim productiva vocatur motus vitalis, conceptus formalis, intellectus factio &c. Terminus autem ejus actionis ab aliis vocatur qualitas, ab aliis conceptus objectivus, prout representatus, species expressa, verbum mentis, intellectio &c. Denique unio illa, ab aliis vocatur receptio, ab aliis passio, & cetera similia.

PRÆMITTO II. *Varias esse sententias in qua tandem consistat natura intellectiōis.* Alii enim dicunt illam stare in sola actione, habente suum terminum. In qua sententia est Molina, Conimbricenses, Cajetanus & alii. Et quamvis Cajetanus, in sola actione eandem constituens, censet eam nullum habere terminum, sed ejus mens ita intelligenda, quod scilicet nullum habeat distinctum à se effectum, sed quod eadem entitas, diverso respectu sit actio, & diverso respectu effectus, sicut nos docuimus de creatura immediatè à solo Deo producta.

III. Sententia est tenentium in utroque consistere intellectiōem. Hanc tenet Cardinalis Lugo, Hurtadus, Recentior Suarez.

PRÆMITTO III. Difficultatem esse inter auctores, utrum illa qualitas producat per actionem distinctam, an per actionem identificatam ipsi termino. Produci per actionem identificatam docuit Cardinalis Lugo disp. 19. de Incarn. Oviedo hic, & alii apud eundem. Negat cum aliis Recentior Suarez & Mastrius disp. 51.

DIFFICULTAS I.

An intellectio producat per actionem distinctam?

DICENDUM est. *Intellectionem quæ reddat intelligentem eum, qui eam producit, non produci distincta actione.*

PROBATUR I. Non implicat contradictionem produci aliquid per actionem identificatam sibi; & ex alia parte, nulla est necessitas asserendi, quod intellectio producat per actionem distinctam, ut patebit solutione argumentorum.

PROBATUR II. Effectus essentialiter determinatus ad unum principium non produci-
tur, actione condistincta, sed intellectiōis qualitas, reddens intelligentem eum, qui eam producit, est effectus essentialiter determinatus ad unum principium, Ergo non produci-
tur actione distincta. Major supponitur ex materia de modis. Minor probatur, Modus est essentialiter determinatus non nisi ad hoc principium, Ergo & illa qualitas intellectiōis, est essentialiter determinata, non nisi ad hoc principium, si faciat illud intelligens. Consequentia probatur. Ideo modus est essentialiter determinatus non nisi ad hoc principium, quia est ultima ratio talis determinationis, sed etiam qualitas intellectiōis, est ultima ratio intellectiōis, quod ipsum probatur. Quia positis quibuscunque aliis, ipsaque actione productiva illius qualitatibus, in se for-
mali.

maliter spectata, nondum ponitur determinatio ad esse intelligentis. Ergo hæc determinatio à sola illa qualitate habebitur. A quo enim alio? Immo quamvis hanc ipsam entitatem intellectionis, quâ intelligit Petrus, produceret v. g. Paulus, non redderet illa Paulum intelligentem, ut probatum in materia de vitalitate.

PROBATUR III. Creatio non infert aliquam modalitatem, Ergo nec productio illius qualitatis. Antecedens probatum in *Physicis*. Consequentia autem probatur: Ideo creatio non est modus, quia impossibile est, esse hunc effectum, sine concursu causæ creatæ productum, & non esse creatum à Deo, ita actio producat qualitatē intellectionis, quæ aliàs redderet Petrum intelligentem, actio inquam talis profecta à Paulo, erit distincta ab illa qualitate, non tamen profecta à Petro. Unde universaliter quæ intellectio reddit producentem intelligentem, non fit condistincta actione, quæ autem non reddit eum intelligentem, producat condistincta actione.

Pro nostra sententia vide Aristotelem, *Metaphysicorum* textum II. & 16. Quod enim Recusator Suar. dicit illas auctoritates hoc sonare, quod illis actionibus nihil extrinsecus producat id impertinens est. Quis enim inquit dubitare potuit, visione, speculatione, nihil fieri extrinsecus.

OBJICIT I. Recentior Suarez. Ex hac doctrinâ sequitur, istam qualitatem non fore rem sed modum. Eset enim seipsa essentialiter immanens, ac proinde inseparabilis ab intellectu, consequenter esset imperfectior frigore & calore, aliisque qualitatibus, quæ sunt veræ res.

RESPONDETUR Oviedo, concedendo totum, foreque illam qualitatem imperfectiorem aliis qualitatibus in aliqua consideratione, in ratione tamen expressionis objecti, spiritualitatis, fore perfectiorem.

RESPONDETUR II. Negando illam qualitatem fore modum. Ratio, Quia de ratione modi, non est hoc, per intermediam actionem non pendere, aliàs unio, quæ producitur, non sine modo, modus non esset. Idem quæ creantur, non creantur per intermediam actionem, & tamen modi non sunt. Ergo de ratione modi non est, immediate pendere à principio effectivo, licet verbum sit, quod aliqua species modorum, immediate pendeat à principio effectivo, & ita actio non agitur per aliam actionem. Itaque ex hoc principio non convincitur illam qualitatem esse modum. Ex alia parte non video, cur implicet illam qualitatem poni in lapidem divinitusq; transferri in aliud subjectum, quæ omnia probant, illam qualitatem non esse modum.

INSTAT idem. Non omnia quæ pendent in fieri & conservari, dependent se ipsis immediate, & ita lux dependet in fieri & conservari à sole, non tamen immediate, sed mediante actione. Ergo idem dicendum est de qualitate illa.

RESPONDETUR. Negando consequentiam, Disparitas. Quia qualitas illa, à quocunque tandem principio produceretur, eundem effe-

ctum tribueret, consequenter non est determinata, ad hoc principium. Jam autem intellectio, non à quocunque principio producta intelligente, reddit quemcunque intelligentem, unita etiam illi. Hinc fit, ut determinet sibi principium, tum, cum debet reddere intelligentem determinareque ut intelligat.

OBJICIT II. Arriaga. Intellectio non est vita Physica, sed intentionalis, vita autem intentionalis, cur indentificaret sibi actionem, quam sibi non indentificat gratia, calor, &c?

RESPONDETUR. Intellectionem ita esse vitam intentionalem, ut simul sit vitalitas Physica. Est enim motus ab intrinseco. Sed quidquid sit de hoc, negatur consequentia, propter adlatam disparitatem, Quia v. g. gratia à quocunque producat, reddit subjectum gratum, consequenter non determinat sibi principium, secus intellectio.

OBJICIT III. Actio est ordo realis ad terminum, ordo autem realis, est, quid distinctum realiter, consequenter & actio productiva illius qualitatis, erit distincta ab illa qualitate.

RESPONDETUR. Negando universaliter Majorem, quæ non nisi in casu particulari vera est. Ratio autem negandi, quia non implicat contradictionem, actio identifica cum termino.

INSTABIS, ex hac responsione sequitur, Deum prædeterminare voluntatem. Quia actio quæ Deus producit volitionem, est distincta ab ea, quæ voluntas producit volitionem, & aliunde, est prior illa, quia omnis actio est prior suo effectui. Ergo prædeterminat.

RESPONDETUR. Cum concursus Dei non sit alius, præ actione creaturæ, in quantum illa actio pendet à Deo, fit ut concursus ille, sequatur conditionem actionis creatæ. Quia autem ipsa actio creatæ indentificatur ex dictis suo termino, fit ut eidem & concursus indentificetur.

OBJICIT IV. Non implicat contradictionem Abelem v. g. generari à Caimo. Ergo neq; etiam implicabit. Contradictionem eundem actum intellectionis produci ab alio principio.

RESPONDETUR. Dupliciter in hac materia procedi posse, primum dicendo, quod ne divinitus quidem, intellectio v. g. Petri produci possit à Paulo, ad eum modum, quo modalis actio Petri ne divinitus quidem produci potest à Paulo, eo quod sic ut actio ita & intellectio, determinet sibi essentialiter hoc principium, sed non esse necesse hoc defendere, idque propter dicta in simili de vitalitate. 2do, quod divinitus quidem intellectio Petri quoad entitatem produci possit à Paulo, ita tamen, ut non reddat intelligentem Paulum. Quo posito, distinguetur quærens: Ergo etiam non implicabit contradictionem eundem actum intellectionis, produci ab alio, ita tamen, ut non reddat eum intelligentem concedo, ita ut reddat intelligentem Nego. Consequenter cum reddet intelligentem, non producitur ut dixi actione distincta: secus si non reddat intelligentem, ita

ita ut actio illa sit indistincta ab intellectione, in circumstantia, quod reddat eum qui eam producit intelligentem; ad eum plane nudum, quo relatio indistincta est à fundamento & termino, non quomodocunque, sed in circumstantia rationis fundandi.

Ad hoc defendendū dupliciter procedit posset. Imprimis ponendo quod intellectiones Petri, ad rationem tribuendi, esse intelligentis, requirant nonnisi, à Petro produci, ita ut intellectus Pauli, ad illam productionem educationemque è sua potentia, nonnisi obedientialē potentiam habeat. Deinde concedi posset, quod eadē intellectione, qua intelligeret Petrus, posset intelligere Paulus, si illam intellectione produceret, concedi posset quod itidem, eandem intellectione: & Petrus & Paulus indistincta actione produceret: Quod si quærat. Quod ergo erit determinatum ut dicatur potius intellectiōnem illam produxisse Petrus, quam Paulus recurreret ad hoc: Quia casu quo illam produceret de facto potius Petrus, quam Paulus diceret illa intellectio connaturalem exigentiam, ut conjungatur nonnisi intellectui Petri, cum omne accidens, petat connaturaliter uniri ei subiecto è quo educum est. Videtur tamen ille prior modus, esse planior, & superius dictis conformis.

OBJICITUR V. Nulla est causa, quæ determinet sibi individuos effectus. Ergo nec potentia intellectiva. Quod si non individuat sibi intellectiōes, debet illas distincta actione producere.

RESPONDETUR. Attendendo ad immediatē dicta, quod hoc sensu individuet sibi effectus, ita, ut alia eosdem, nonnisi obedientialiter producere possit; sed hoc sensu non individuat sibi effectus, quasi ad plures in sua potentia contentos, non indigeat à Deo determinari, ut videre est dum Deus determinat ad hanc individuationem modi, licet hic individuus modus, huic nonnisi principio sit adstrictus. Sed quid sit de hoc principio, potest ad huc dici: quod effectus qui sunt simul essentialis determinatio huius ad hoc, non indigeat, à causa, distincta actione produci, licet producat distincta actione effectus causa, quia effectus, non habent simul determinationem, huius ad hoc.

Argumenta Recentiorum.

MAstius hic disp. 6. n. 91. censet, produci verbum mentis, per distinctam actionem, ejus hic pensanda argumenta.

OBJICIT I. Auctoritatem Augustini 9. de Trinitate capite 7. Ubi ait conceptum verum, veracem notitiam, tanquam verbum, a quo nos habemus, & dicendo intus gignimus.

RESPONDETUR. Cum Augustinus nihil exprimat, de dictione distincta ab ipsomet verbo, poterit adhuc illud verbum, generari & produci in nobis, productione indistincta entitativè.

OBJICIT II. Verbum vocale, verè producitur per locutionem, & dicere corporeum, veluti per actionem distinctam. Ergo & verbum mentale, producitur per locutionem & dictionem spirituales, distinctam.

RESPONDETUR. negando antecedens. Cum enim verbum vocale, non aliud sit (si sonum de-mas) nisi locutio & dictio corporea, sicut locutio & dictio corporea, non est distincta à seipsa, ita nec erit distincta, à verbo corporeo seu vocali.

OBJICIT III. Verbum divinum nequaquā seipso immediatè producitur à Patre. sed per internam actionem generativam, cujus ipsum, est Terminus. Ergo idem dicendum, de verbo creato.

RESPONDETUR. Antecedens, ne indigeat ulterius probari, si negetur, indiget ulteriori explanatione, nam negando, quod per actionē distinctam, producatur verbum creatū, nihil dissimilatur productio verbi creati, productioni verbi Increati, sicut enim, licet verè generatur verbū, actio agens, ut ita dicam, adeoq; generativa, non est entitativè quid distinctum à Paternitate, imò nec virtualiter, sed virtualitas generationis est indistincta virtualiter à Paternitate. Ita quamvis verbum creatum producitur ab intellectu, ejus productio activa, non erit entitativè distincta, ab ipsomet intellectu dicente.

INSTAT I. Mastrius. Quamvis actio illa agens, sit identifica Paternitati, id non tollit, quin generatio in divinis, sit vera & realis actio, & quod identificetur paternitati, non provenit ex rationibus formalibus actionis, sed accidit ex summa simplicitate divina.

RESPONDETUR. Concedo, quod identificatio actionis illius agentis, ut ita dicam, cum paternitate, non tallat, quo minus sit vera & realis actio, licet non sit verè & realiter distincta, mediansq; inter Patrem & filium, ita etiam & dictio creata erit vera & realis Actio, quamvis non mediet verè & realiter, inter intellectum & verbum creatum. Concedo, quod identificatio ista actionis, alias nulla daretur condistincta entitativè aut connotans aliquid condistinctū, sed procedit ex connexionione verbi mentis cum intellectu, cui tribuit rationem intelligentis actu. Et sic ut simplicitas Divina, exigit, ut non intermediet illa generatio, inter Patrem & Filium, ita nexus verbi creati cum hoc intellectu, cui tribuit rationem intelligentis, exigit, ne intermediet distincta realiter dictio.

INSTAT II. Verbum nostrum ex limitatione sua est accidens, ergo ex eadem limitatione, potest produci, distincta re ipsa, actione.

RESPONDETUR. Concedo quod ex sua limitatione, verbum nostrum, sit accidens, si enim esset substantia communiter infertur, quod esset actus purus in ratione intelligendi, adeoq; Deus, sed nego quod si aliquid producatur per actionem

nem indistinctam, quod non possit esse acci-
dens, & aliquid limitatum.

INSTAT III. Etiam in divinis, generationis
actio, distinguitur à verbo genito.

RESPONDETUR. Sicut in divinis distinctio illa
oritur, non ex ratione intermedia realitatis, sed
ratione indistinctionis à Paternitate, ita & dictio
activa creata, distinguitur à verbo creato, ob
suam identificationem cum intellectu.

OBJICITUR IV. Quando aliquis effectus,
nec ab alia causa, nec alio modo prodire potest,
signum evidens est, dependentiam à tali causa,
esse illi essentiali, ac realiter identificatam;
jam autem Verbum mentis, idem numero, potest
à diversis principiis oriri, cum habitu, vel sine
habitu, vel cum specie impressa, cum uno, vel
altero Dei auxilio, si sit actus supernaturalis, inò
potest totaliter à Deo imprimi.

RESPONDETUR. Non potest ostendi sufficiens
mutatio, per quam, à non esse agentis, transeat
habitus ad esse agentis (& similia numerata in
antecedenti) nisi ponatur modalitas, quia autem
non recurrendo ad aliquid intermedium, potest
ostendi, per quid transferat intellectus, à non esse
agentis illud verbum, ad esse agentis, nempe
quia per illud redditur intelligens, ideò non erit
necesse, per intermediam actionem; produci il-
lud Verbum. Unde à nulla alia causa potest produ-
ci hoc Verbum creatum, reddens intelligens,
& exigens uniri, non nisi cum hoc intellectu, nisi
ab hac causa, consequenter cum tali causa, dicit
essentiali nexum. Nego item, quòd idem nu-
mero verbum, possit à solo Deo produci & im-
primi, ut reddat intelligentem, eum, cui imprimi-
tur.

OBJICITUR V. Alii effectus producunt me-
dia actione quæ sit modus, vel non sine modo, er-
go & Verbum mentis.

RESPONDETUR. Quæ creantur, non produ-
cuntur actione intermedia, cur non & Verbum
mentis? de aliis dispar est ratio, quia nisi ponat-
ur intermedia actio, saltem non sine modo,
non erit ostendere sufficientem mutationem,
per quam transeat à non esse agentis, ad esse
agentis, quæ in presenti, ut dictum, ostendi
potest.

DIFFICULTAS II.

In quonam consistat Intellectio?

PLURES sententias in hac materia, supra pro-
posui, nunc examinandæ sunt.

Punctum Difficultatis 1.

An intellectio consistat in Actione?

IN duplici suppositione procedere debet reso-
lutio, nempe posito, quòd intellectio actione
distincta producatur, & posito, quòd indistincta
actione.

DICENDUM est I. Actionem quantumvis

*foret distincta à termino seu qualitate producta non
fore formaliter intellectioem.*

PROBATUR I. Illa entitas actionis, prout con-
distincta à suo termino, vel notificat objectum
potentia vel non notificat: si non notificat. Er-
go in illa formaliter non consistit intellectio.
Quia illa, est definitivè notificativa objecti, si
notificat. Ergo frustra producitur verbum
mentis, siquidem quod facere deberet, jam hoc
præfacit actio, & sicut productio caloris non ca-
lefacit, sed calor, productio etiam gratia non
gratificat subiectum, sed gratia: ita & produ-
ctio intellectioem, non faciet intelligere, sed
terminus ejusdem.

RESPONDEBIS. Illam actionem requiri ut pro-
ducatur verbum mentis.

CONTRA. Transeat illam actionem requiri
ut producatur verbum mentis, nec de hoc est
quæstio; sed inquiritur, in illanè actione stet
formalitas intellectioem?

Neque valet si dicas: in utraque stare; jam
enim superabundaret alterutra, effectusque for-
malis idem, non potest à diversis principiis pen-
dere. quamvis effectus in genere causæ efficien-
tis, id possit habere: quia effectus formalis non
est aliud, nisi forma ipsa unita subiecto capaci:
sicut ergo ipsa forma, non est idem cum alia for-
ma, sic nec eundem effectum formalem præsta-
bit. Si autem dicas præstare quidem diversum
effectum, utrumque tamen de linea intellectio-
em, restat querere, in quo sit sita illa diversitas,
ita ut neutra sit forma otiosa.

PROBATUR II. Si in actione consistit formali-
ter intellectio, illa intellectio vel producit ali-
quid vel non producit, si non producit, actio non
est, ut supponitur in ratione actionis Physicæ, si
producit, quid illud est quod producit? non pro-
ducit aliam intellectioem, quia hæc intellectio
deberet etiam in actioe consistere; cur enim
una in actione consisteret, & non altera. Rursus
illa actio si producit intellectioem producit a-
ctionem, cum per te intellectio consistat formali-
ter in actione, dabitur ergo actionis, & sic da-
bitur processus in infinitum, vel devenire erit ad
intellectioem, quæ non sit actio, & sic aliqua
intellectio, non in actione consisteret cum illa
prior, in actioe consistat. Non etiam illa actio
quam tu dicis intellectioem, potest producere
aliquid aliud, præter intellectioem: quia nullus
terminus alius, illius assignari potest, vocatur-
que actio, intellectioem productiva.

PROBATUR III. ex Oviedo. Si tota ratio intel-
lectionis consistit in actione, terminus illius a-
ctionis tantum esset necessarius, ut subsistat actio,
non enim ille terminus constitueret eum intel-
ligentem. Quia si per impossibile actio illa esset
sine termino, jam præcise per actionem esset in-
telligens. Ergo terminus tantum requiritur ut
præcise sit actio. Hoc autem dici non potest:
Quia jam non terminus esset propter actionem,
sed actio propter terminum.

DICEN-

DICENDUM est II. *Actio productiva intellectus, si detur distincta à termino requireretur tanquam praequisitum necessarium ad intellectum, in suppositione autem quod identificetur termino, sub formalitate tendentia motusque prior est, & praequisita, ante formalitatem Termini & quietis ut ita dicam.*

PROBATUR. I. Conclusio auctoritate Tridentini, quod sessione 6. Canon. 4. respectu justificationis, dicit nos non esse, tanquam inanimatum instrumentum, nihil operans. Ergo supponit, ut non dicamur nos habere tanquam inanimatum instrumentum, debere intercedere actionem, consequenter cum in intellectu, non habeamus nos in animato modo, debet illic intercedere actio, sed non tanquam aliquid subsequens: Ergo tanquam praequisitum necessarium.

PROBATUR II. Illud quod dicit necessarium & essentialem connexionem cum suo principio, adeoque insupplebilem etiam à Deo, necessario debet involvere rationem, ob quam dependet à suo principio. Hæc autem non alia est, nisi actio, quæ enim aliam? quod si dicit intellectio actionem, tanquam rationem, ob quam dependet à suo principio, & cum eam non deponat tanquam aliquid posterius: Actio enim semper prior est effectui, cum etiam actionem non deponat tanquam rationem formalem intelligendi. Ergo illam deponet, tanquam necessarium praequisitum.

PROBATUR III. Non potest intellectus reddi intelligens per intellectum ab alio productam. Rursus illa intellectio, non est improducta, Ergo intellectio involvet actionem, sed non involvet eam, ut rationem formalem intelligendi ut probatum. Ergo tanquam aliquid praequisitum, vel potius ut rationem, ut Quo, suæ productionis.

OBJICITUR I. Intellectio increata non involvit actionem. Ergo neque creata.

RESPONDETUR. Si nomine actionis intelligas rationem formalem Quo, cui correspondet factum, nulla est in divinis actio, quia nihil factum, cum tamen in creatis omnia fiant facta.

Quod si nomine actionis intelligas productionem, cum distinctione respondendum erit. Si enim nomine intellectus increatæ, intelligas intellectum personalem, seu verbum, respectu illius datur vera productio. Si autem nomine intellectus increatæ intelligas ipsammet naturam divinam, quæ natura est, illa cum sit improducta, respectu illius non potest dari productio. Quia autem creata intellectio est producta bene respectu illius, potest dari Actio.

OBJICITUR II. Arriaga. Vel essentia tota salvatur in qualitates, seu termino Actionis

sine actione, vel non salvatur, si non salvatur, Ergo deficit aliqua pars essentia intellectus sine actione, adeoque actio quæ deest, deest tanquam aliquid ad essentiam intellectus spectans, si autem salvatur sine actione, Ergo sine actione dabitur intelligens, hoc enim nihil aliud est, quam tota essentia intelligentis, sicut homo non aliud est quam tota essentia hominis.

RESPONDETUR. Posita nostra sententia, quod identificetur actio, intellectui productæ, sicut intellectio sine se ipsa, ita nec sine actione, salvari poterit, cum hoc tamen fiat, ut reddatur per illam homo intelligens, non sub formalitate actionis, sed sub formalitate termini: si autem distinguatur actio à termino, in solo termino stabit intellectio, tanquam in ratione formali intelligendi, sed non in solo termino, quasi in se solo, claudat omnia praequisita.

OBJICIT III. Oviedo. Actio pro connotato sumpta, vel est additum diminuens vel destruens, rationem essentia intellectus, vel contrahens, si contrahens, ratio intellectus consistit in actione, & termino, si diminuens, intellectus essentia adæquate constituitur in termino.

RESPONDETUR. Quærendo, an tempus vespertinum, sit ratio diminuens an contrahens comestionem, & quam responsionem dederit ille, aptari poterit in presenti. Directè dici potest, rationem actionis esse rationem contractivam, sed per modum connotati, efficiens scilicet, ut illa intellectio sit vitalis, sed non contrahit illam, tanquam ratio manifestiva formaliter.

OBJICITUR IV. Vita substantialis non consistit ullo modo in actione, nec illam importat, sed solum formam substantialem. Ergo & vita accidentalis, quam habet potentia in actu secundo operans, nullo modo importat rationem actionis.

RESPONDETUR. Vita substantialis divina, est formalissime ipse actus 2dus, vita autem substantialis creata, praequirat actionem sui productivam, cur ergo idem etiam non dicatur de vita accidentali quæ est per intellectum. Sed disparitatis ratio etiam adferri potest. Quia ab hac actione produci, non est essentialiter vita substantiali, ut scitum est ex Physicis. Jam autem essentialiter est intellectio, actione vitali produci, quando reddit intelligentem, consequenter dicitur specialem nexum ad actionem, saltem tanquam ad praequisitum.

OBJICITUR V. Solus conceptus, est similitudo objecti, ergo in solo illo consistet intellectio.

RESPONSUM supra. In solo conceptu consistere intellectum, tanquam in ratione formali

formali intelligendi, sed non consistere in solo conceptu, quasi non requireret alia prærequisita saltem ex modo concipiendi distincta.

Punctum Difficultatis 2.

Solvantur Obejectiones.

PRÆTER adlatas objectiones contra conclusionem secundam, restant et solvenda quæ magis impetunt conclusionem primam.

OBJICITUR I. Intellectio divina in sola processione consistit. Ergo & intellectio creata in sola actione. Anteced. probatur. Quia intellectio divina, considerari potest tam notionalis quam essentialis, utraque autem in processione consistit, ut probatur. Quia intellectio notionalis dicit processionem seu originem activam, & processionem passivam, seu verbum divinum, quæ intellectio, non consistit in verbo seu termino. Quia prius intelligitur Pater, actu intelligens, quam producens verbum: cognitio etiam essentialis, consistit in operatione, & non in termino.

RESPONDETUR. Hanc difficultatem pendere ab illa, quæ examinatur in materia de Trinitate, quodnam scilicet sit principium immediatum, formale, ut Quo processionum in divinis. Interim videamus quid sit directe respondendum. *Hinc*

RESPONDET imprimis recentior Suarez. Negando consequentiam, disputatam dat, quia pater non intelligit per verbum, imo quando illud producit, jam supponitur esse intelligens, non enim illud produxit ex necessitate intelligendi, seu ut intelligat, sed ex fecunditate intelligendi, seu quia intelligit, hinc pater non intelligit per verbum. Creatus autem intellectus intelligit per conceptum seu terminum. *Hæc responsio*

NON SATISFACIT. Instauraturque sic argumentum. Pater non per verbum intelligit, sed cum illud producit, supponitur jam intelligere. Rursus Pater non intelligit per verbum, Ergo quando producit verbum creaturæque etiam supponitur intelligens actione, Ergo ulterius, non ideo illud producit ut intelligat, sed quia intelligit actione.

RESPONDET II. Oviedo. Pater non tantum est potens intelligere, quatenus potest percipere objectum, quod est illi commune cum aliis personis, sed potens est intelligere notionaliter producendo verbum consubstantiale, habens tamen diversam personalitatem; Quod subsistere nequireret, si Pater non haberet verbum distinctum à se, quod sit terminus cognitionis notionalis Patris. In creatis vero nulla est ratio quæ cogit imò neque permittat verbum aliquid assignari productum per cognitionem formalem, quod ad rationem formalem cognitionis non pertineat. *Hæc responsio*

NON SATISFACIT. Supponit enim dari

notionalem cognitionem, quæ si non aliud est quam cognitio, communis reliquis personis affecta personalitate non solvitur argumentum quia ipsa ratio personæ Patris quæ talis, nihil habet formalitatis, quæ sit cognitio, consequenter adhuc verum erit, rationem cognitionis, stare in ipsomet actu secundo, non autem in termino illius: consequenter etiam creata cognitio, stabit in actione non autem in termino, si autem aliquid aliud per notionalem cognitionem intelligitur, nempe cognitio appropriata Patri non aliis personis, vi cuius aliquid intelligat Pater, quod non intelligant aliæ personæ, talis intellectio notionalis rejicitur à Theologis. Deinde concedo ad solvendas processionem divinas, debere admitti verbum distinctum realiter à Patre, sed inde non sequitur, quod in divinis, non stet cogitatio in processione. Concedo in creatis non dari necessitatem ad producendum verbum subsistens, sed inde non sequitur, quod sicut in divinis in processione consistit intellectio, sic non consistere in creatis. Concedi item potest, in creatis, non pertinere verbum ad rationem formalem cognitionis, sed tanquam terminum illius intellectiois & partum. Inde autem non sequitur sicut in divinis, ita & in creatis, intellectio non stare in processione, & in productione verbi. *Hinc aliter*

RESPONDETUR. Intellectio communis omnibus personis, de fide est, quod in processione non consistat: Quia illa, est ipsamet natura divina communis, cui nullo modo competit, habere productionem, cum sit improducta. Distinguendo autem actum primum intelligendi in Deo ab actu 2do, prioritas illius concedi ex modo concipiendi potest, sed non cum prædicato productivi. Quia natura divina etiam ex modo concipiendi, non potest dici producta, tribuimusque actum secundum intelligendi DEO, seculis imperfectionibus, qualis esset si conciperetur producta. Instantia de intellectioe personalis stat contra oppositas, idque ideo, quia intellectio personalis, stat in ipsa ratione termini seu verbi producti. Ergo & nostra intellectio, in termino debet stare. Quod autem dictio, stet in processione, aliud est. Quia cum dictio sit ipsa processio Ut Quo sumpta, sicut sine se, ipsamet dictio, esse non potest, ita nec sine processione, sed inde non sequitur, intellectioem in divinis stare in processione, Quia dictio licet sit de linea intellectiois, non aliud tamen importat, quam actuale exercitium locutivitatis paternæ, de quo fusius prima parte, estq; ratio Ut Quo, productionis verbi seu intellectiois personalis, quod nos concedimus etiam illi actioni creatæ (si detur) quæ est productiva verbi mentis.

OBJICIUNTUR II. Paritatis aliquæ.

PRIMA PARITAS. Modus localis non in termino, sed in actione consistit, Ergo & intellectio.

† (P)

Re-

RESPONDETUR. Disparitatem esse Quia nisi in ipsa actione staret motus, non posset aliud haberi in quo ille salvetur, non enim posset salvari in termino, hic enim vel est quies, adeoque negatio motus, vel ubi, quod etiam quantum est de se, nullo modo importat motum. Nulla autem talis ratio urget, ut ponatur intellectio in actione, imò, ut dictum rationes in oppositum urgent.

SECUNDA PARITAS. Volitio consistit in actione Ergo & intellectio. Antecedens probatur. Quia volitio est libra, libra autem non esset, si in termino consisteret, quia terminus non potest non sequi actionem, adeoque non est indifferens, ad esse & non esse.

RESPONDETUR. Suppositionem consequentem non esse destructivam libertatis, sed ipsum actuale exercitium ejusdem. Terminus autem ille non posset non esse tantum ex suppositione consequenti, hinc quamvis volitio in termino consisteret adhuc salvaretur volitionis libertas. Deinde in ipsa volitione duo possunt distingui, Actio productiva volitionis, & ipsa volitio producta; nego ergo volitionem stare in actione illa productiva, & sicut supposito quod sit actio, non potest non esse, nec hoc præjudicat libertati, ita nec præjudicabit libertati termini, quod supposita actione non possit non esse.

OBJICITUR III. Per actionem constituitur principium intellectivum, vivens in actu secundo, vita intellectuali. Ergo de ratione intellectio est, tantum actio, & non terminus.

RESPONDETUR. Per actionem scilicet constitui principium intellectivum vivens, tanquam per rationem tendendi ad formam vitalem, non autem, tanquam per formam & ultimum complementum vitale, per intellectio nem autem constituitur tanquam per formam vitalem. Sic v. g. possessio rei, non est ipsa sententia ad possessionem, sed ipsa res possessione habita, est possessio, cum ergo intellectio, sit possessio objecti vitalis, non tendentia ad illam possessionem, quæ est actio, erit illa possessio, adeoque actio non erit intellectio, sed ipsa res possessione habita, seu terminus qui est possessio intentionalis objecti. Quod ipsum sic ulterius proponitur: In esse actuali vitæ, duo considerari possunt. Primum Ratio reducendi sese in actum secundum. Secundum spectari potest, ipse actus secundus. Ratio reducendi sese in actum secundum, tribui debet actioni; ratio autem ipsius actus secundi, debet tribui illi termino, qui respondet illi rationi, reducendi actum primum, in actum secundum, sic ergo, & intellectio, cum sit actus secundus vitæ intellectualis; non debet tribui rationi, reducendi intellectum in actum primo, ad esse intellectivi in actu secundo, sed debet tribui ipsi actui secundo, qui est terminus illius actionis. Unde ratio reducendi sese in actum secundum ut quo, dupliciter sumi pot-

est, primo pro ipsa forma quæ est actus secundus, & in hoc sensu ipsa actio non est hæc forma, sed terminus illius, secundò pro ipsa actione ut quo, & formali producendi illam ipsam formam, producendi illum ipsum actum 2dum, & hoc sensu actio, & Ratio reducendi in actum secundum.

Punctum Difficultatis 3.

An intellectio consistat in Qualitate producta.

DICENDUM est. *Intellectionem creatam consistere in Qualitate producta.* Est conclusio Authorum supracitatorum.

PROBATUR I. Quia intellectio consistere debet in aliquo, non consistit formaliter in actione ut probatum est, Ergo in termino illius, nihil enim tertium inveniri potest.

PROBATUR II. Pone quamlibet actionem, & non pone representationem objecti, & eorum prædicatorum quæ res continet, non intelliges rem. Ergo intellectio in eo stat, quod est illa representatio, quam dicimus esse terminum. Idem sic aliter proponitur, in illo consistit intellectio, quod negat non intellectio, sed non intellectio, nihil aliud importat, nisi non esse in mente prædicata rei representata. Ergo intellectio representationem importabit, sed qualitas illa producta est representatio, non enim actio est representativa ut dictum. Ergo in qualitate illa stabit intellectio.

PROBATUR III. Impossibile est transire à contradictorio ad contradictorium sine sufficienti mutatione, Ergo nec sine illa transibitur à non esse intelligentis ad esse intelligentis, sed nisi ponatur intellectio stare in dicta qualitate, nulla dabitur sufficiens mutatio, Ergo in illa debet stare intellectio.

Ex quo ulterius Inferes, non esse possibile, ut producatur creata intellectio, quæ non habeat rationem verbi producti representationem objecti, &c. Ratio est, quia ratio representationis, speciei quæ expresse, itemque ratio verbi mentis, intra intellectionem, vel sunt idem realiter, vel non sunt, si sunt idem realiter. Ergo unum illorum posito, ponetur & aliud, si autem non sunt idem realiter. Ergo tu multiplicas entia sine necessitate, attendendoque ad definitionem speciei expresse, & verbi mentis, facile inferetur identitas.

Clarè id docet S. Thomas prima parte questionis 27. articulo primo in (.) ubi dicit: qui cumque intelligit ex hoc ipso quod intelligit, procedit aliquid intra ipsum quod est conceptio rei intellectæ.

OBJICITUR I. Intellectio Divina, quæ est ipsamet natura Divina, non est productiva verbi mentis, nec est cum illo idem, Ergo nec idem erit intellectio creata.

RE.

RESPONDETUR. Concedere quidem Martionem, verbum esse duplex in divinis, essenziale & notionale, ut videre est in disputatione 24. num. 5. & disputatione 29. numer. 1. id tamen rejeci in prima parte. Hinc disparitas hæc assignari debet. Quia scilicet de ratione verbi imaginis, que etiam objecti, est habere formalitatem producti, hinc in prima parte verbum Divinum non dicitur inesse imago creaturarum, quia non producit a creaturis, Quia autem in divinis, nullam datur commune productum, fit ut intellectio divina, non sit verbum, nec imago objectorum, nisi dicas nomine imaginis & verbi, te non aliud accipere, quam quod notificetur objectum, hæc enim notificatio indubie est in Deo, sed quia non est producta, non potest dici verbum & imago. Quia autem omnis intellectio creata, est ita notificativa, ut sit etiam producta, fit, ut omnis cognitio creata, debeat habere formalitatem intellectiois, & formalitatem verbi imaginisque.

OBJICITUR II. Sufficit, intellectioem non aliud esse, quam receptionem specierum.

RESPONDETUR. Quod non. Tum quia Angeli, supposito quod habeant sibi concreatas species semper intelligerent omnia illa, supposito etiam quod eas sibi fabricent, intelligerent semper omnia, quorum habent species. Tum quia intelligere, esset pati, hoc autem esset contra mentem Tridentini de Justificatione. Aristoteles & S. Thomas explicandi sunt, quod intelligere in actu primo, & remotum, sit quoddam pati, quod productum illi verbo, competat recipi in anima noscentis.

OBJICITUR III. Cum Amico. Sufficit in visione seu intellectioe beatifica DEI, quod sit sola vitalis tendentia & intentionalis unio intellectus creati cum DEO, proxime & immediate intelligendi.

RESPONDETUR. Quod non. Ratio est, quia illi tendentia, vel est actio vel Qualitas, si actio, debet habere terminum saltem cui identificetur, si autem est Qualitas producta, habetur intentum.

OBJICIT IV. Idem: de ratione speciei expressæ est, ut exprimat intentionaliter objectum, ut in eo objectum proximè & immediate cerni possit: Consequenter de ratione speciei expressæ est, ut quamvis objectum sit absens & non existens, adhuc aliud representare possit speciem expressam; Jam autem si non existeret DEUS, aut absens à beatis esset, Beati DEUM non viderent. Ergo apparet non dari illic speciem expressam, rigorosam.

RESPONDETUR. Falsum esse quod objectum videatur in specie expressa, vel quod verbum mentis, sit medium in quo, videndi objectum. Rursus dictum est alibi, non existentem colorem videri non posse ab oculo connaturaliter, fieri tamen posse supernaturaliter, & Deo suppleto defectum alicujus requisiti, Sed DEI non

existētis, defectum, nulla creatura supplere posset. Fusior deberet dari huius objectionis solutio, sed ea tractatur in prima parte. Ubi de specie DEI impressa. Videantur etiam aliæ dicta ubi discurrebatur, an sensus ferri possit in objectum absens.

OBJICITUR V. Ex Salmaticensibus. DEUM esse actum purum, adeoque per suam essentiam, esse suum intelligere, & intellectum esse. Ergo implicat illum, per aliquid aliud esse intellectum.

RESPONDETUR. Hoc argumentum multum probare, adeoque nihil: Quia probat DEUM, nec per actionem videri, nec ullum lumen gloriæ videnti Deum superaddi posse. Quia DEUS actus est purus, sine ullo lumine & actione, suum intellectum esse. Quod si saltem creatum esse intellectum Dei, potest haberi ratione luminis gloriæ, non in Deo sed in creatura reperiibilis, idem dicitur, quod intellectum esse creatum, objecti increati, possit esse, per aliquid superadditum, actione illud vitali producente.

DIFFICULTAS III.

Verbum mentis quomodo se habeat ac objectum intelligenda.

SENTENTIA Thomistæ, intellectum informatum jam speciebus, primum producere verbum mentis, & in illo prius cognitio cognosci objecti, & quod illius verbi efformationem, postea subsequatur intellectio objecti, idemque docet cum illis Amicus tomo 1. disputat. 9. Sectione 3.

DICENDUM est I. *Verbum mentis, non esse medium, in quo nascatur objectum.* Est sententia nostrorum communior.

PROBATUR I. Argumento negativo, Quia scilicet nulla est necessitas multiplicandi hæc entia, quorum aliud sit verbum, aliud cognitio objecti, ut patebit solutione argumentorum. Hic ipse medius terminus sic aliter proponitur, cognitio illa objecti, vel manifestat objectum noscenti, vel non manifestat, ergo ipsa illa est verbum, nomine enim verbi, id intelligitur: si autem non manifestat. Ergo non est cognitio.

PROBATUR II. Illud verbum & esset cognitio objecti, & non esset, non esset, quia cognitio objecti subsequitur productionem verbi, & esset cognitio objecti, quia repræsentaret intellectualiter objectum. Quod si dicas: alio modo repræsentari objectum in verbo & alio modo in se: Contra erit, Quia hoc ipsum non est necessarium, diversitatemque hanc nunquam experimur.

CONFIRMATUR. Quia si verbum quocunque modo esset medium noscendi, in quo objecta falsificarentur Propositiones, nulla darentur universalis, & his similia. Nam hujus Propositionis, Petrus est Animal: deberet esse sensus, Petrus est meus conceptus de animalitate, prædico enim hoc de Petro, quod cognosco, prædicabile

† (P) 2 & 3 cabile

cabile de Petro; per te autem cognosco conceptū & Verbum meum. Deinde nulla esset condistinctio inter notitiam animalis, & inter cognitionem reflexam, quæ noscitur ipsam notitiam animalis, quæ tamen duo sunt distincta, nam in notitia notitiæ directum est objectum: Notitia, in notitia autem animalis, directum est objectum: Animal, & tamen si verbum esset medium in Quo, noscendi objecti, deberet esse ipsa notitia, directam objectum, Quod noscitur.

PROBATUR III. Non cognoscitur Deus in verbo tanquam in medio in Quo, nec enim essemus beati per aliquid increatum. Rursus per ipsosmet Thomistas non cognoscitur prius Deus in verbo, postea in se ipso. Ergo neque alia objecta, cognoscuntur prius in verbo, postea in se ipsis.

RESPONDERI potest I. ex Amico. Quia S. Thomas I. parte Quaestione 12. artic. 2. negat omnem similitudinem tenentem se, ex parte rei visa.

CONTRA est. Quia præsens, locus non plus vult, quam quod non detur actu ulla species impressa Dei. Neque valet si dicas cum eodem, ex eo non posse dari expressam speciem essentiae Dei; quia nulla species creata potest exprimere essentiam divinam, secundum omnem perfectionem quam habet in esse reali. Non inquam, valet si dicas, quia alias neque substantia creata poterit habere sui speciem expressam, eod quod species expressa, sit imperfectior, utpote in entitate accidens. Quod si dicas sufficere ut habeatur vis representandi, sine ulla continentia objecti, idem in præsentia dici poterit.

RESPONDEBIS II. Deum non videri omnino perfecte, adeoque non videri in verbo creato.

CONTRA erit. Quia non est major ratio de objecto perfecte quam imperfecte viso, & rationes oppositorum, utrumque probant.

DICENDUM II. *Objectum non cognosci nisi prout representatur a Verbo mentis.*

PROBATUR I. Quia ita intelligitur objectum sicut intelligitur; sed sicut præsentatur per Verbum mentis, ita intelligitur objectum, in hoc enim verbo mentis, stat formaliter intellectio. Ergo sicut præsentatur verba mentis ita intelligitur.

PROBATUR II. Quia nisi intelligerentur objecta, prout representata per verbum mentis, nullum posset fieri universale, hoc enim non datur aperte rei, non etiam est ipse mens conceptus. Ergo non debet esse aliud, quam ipsum objectum, prout sic & ita cognitum.

PROBATUR III. Rationibus quas oppositi adferunt, ostendentes verbum esse medium, in quo, noscendi, quæ rationes saltem probant, nosci objectum prout representatum. Differt autem hæc sententia à sententia Thomistarum per hoc: quia non distinguit cognitionem objecti à verbo mentis, differt autem: quia non dicit ipsam cognitionem, esse quasi speculum, in quo vulgariter dicitur objectum videri, sed dicit ipsum in se attingi, licet non attingatur, prout in se, sed prout representatur. Differt denique, quia ponit verbum mentis tanquam rationem formalem intelligendi, non autem tanquam medium in Quo.

OBJECIT I. Amicus auctoritates S. Thomæ.

RESPONDETUR. Locus quem adfert ex libro I. contra gentes cap. 53. pro nobis potius est. Quia illic appellat S. Thom. verbum, intentionem intellectam, hoc est ratione objecti intellecti resultantem, quæ etiam est similitudo intellecti concepta, ut loquitur 4. contra gentes cap. 11. sed non dicit illam esse medium in Quo. Locus autem ille ex opusculo 13. ubi dicit verbum comparari ad intellectum, non sicut Quo intellectus intelligit, sed sicut in Quo intelligit, non etiam contradicit nobis in re, non enim dicit, quod non nisi potest verbum mentis, sequatur cognitio objecti, sed tantum ostendit verbum non esse actionem intellectus quæ intellectus intelligat, seu producat

intellectionem, sed quod sit id, in quo intelligitur, non quidem tanquam medio noscendi & in Quo, sed quod sit terminus & qualitas producta. Idem alii explicant, quod in verbo, non quidem objective sed tamen formaliter habeatur objecti expressio. Quomodo etiam intelligi debet locus ex opusculo 14. Ubi dicit, rem non intelligi nisi in verbo; quanquam dici potest, hoc loco probari, quod objectum intelligatur prout representatur. Aliæ etiam auctoritates S. Thomæ non plus volunt, quam quod non intelligamus sine efformatione verbi mentis.

OBJECIT II. Amicus auctoritates aliorum Patrum qui verbum appellant imaginem objecti.

RESPONDETUR. Non loquuntur Patres, quod illa imago, distinguatur à cognitione objecti, ut volunt Thomistæ, vel quod sit medium in quo. Aliunde, etiam nos, appellamus verbum imaginem objecti, quia est ratio exprimendi intentionaliter. Quando autem dicit Amicus in verbo increato Patrem agnoscere omnia. Ergo etiam nos in verbo nostro cognoscimus, quæ cognoscimus, alias in hoc verbo mentis nostræ distinguetur à verbo increato, & tamen hujus differentie non meminerunt Patres, id non convincit, ex eo enim, quod prius supponatur Pater intelligere antequam producat Filium, inferri potius debet: Ergo illi verbum est medium noscendi. Quando autem in super etiam in verbo noscitur creaturas, est illi verbum, noscendi medium, non ad simile ei, quo noscitur easdem in omni potentia, quæ est quidem medium noscendi, sed non medium tale, de quo hic, sed hoc discutere ad Theologiam spectat.

OBJECIT III. Potentia visiva percipit objectum in sua visione, ut in propria imagine expressum. Ergo & intellectiva objectum suum percipit in verbo mentis. Antecedens probatur, quando species variatur quoad intensiorem, objectum apparet crassius, & quando species variantur quoad multiplicationem in conspiciis v.g. Multangularibus, objectum apparet multiplex, quando item species, refranguntur, objectum apparet fractum. Ergo potentia visiva, percipit suum objectum, in sua visione, tanquam in propria specie expressum, si enim visibile cerneretur non in sua imagine, sed in propria natura existens, non posset cognosci, nisi cum ea dispositione, quam in se ipsa haberet.

RESPONDETUR. Negando Antecedens. Probationi consequentiam, ad ulteriorem ejus probationem dicitur, si visibile cerneretur in sua propria natura, & non qua representatum intervenientibus etiam speciebus, tunc non posset cognosci nisi cum ea dispositione, quam in se ipso habet: secus si videatur, prout representatum, & intervenientibus speciebus, ratione medii variabilibus. Hæc etiam probatio, potentia visiva percipit objectum in sua visione, si faciat hunc sensum, non aliter videtur objectum, quam repræsentet illa visio, vera est propositio, si autem tunc hunc sensum, quod percipitur objectum in visione, ita, ut non attingatur in se objectum, falsa est.

INSTAT I. Quod non se habet objective ad potentiam, non potest mutare objective potentiam, quia nihil potest esse medium mutandi alterum, quod non est medium efficiendi illud, sub ea ratione, sub qua debet illud mutare. Cum ergo visio mutet potentiam, debet esse objectum cognitum, & non debet esse tantum subjective in potentia.

RESPONDETUR, negando Antecedens. Negando ulteriorem probationem illius, quæ ad maximum hoc evincit, quod objectum non quomodocumque mutet potentiam, sed prout representatum. Quamvis autem in conspiciis multangularibus, non possit discerni inter verum & apparens objectum, non sequitur jam, quod in visione tanquam in medio, videatur objectum, sed tantum sequitur intervenio illie multiplicatarum specierum, repræsentativum objectum multiplicatum; quod objectum, alias non videtur, nisi prout representatum.

INSTAT

INSTAT idem II. Variatā visione, per solam variationem specierum visibilium, diversum quid apparet, quod antea non apparebat, sed hoc diversum, non est in objecto in se ipso existente. Ergo in objecto per visione expressio.

RESPONDETUR. Hoc diversum est in ipso objecto prout representatur per species impressas, quod ipsum non videtur, nisi prout representatur ab illis, de quo in materia de speciebus.

INSTAT III. idem. Conservata tantum visione in oculo vel conceptu visibili cuius est visio eodem prorsus modo apparet oculo ipsum visibile Ergo apparet oculum non intueri visibile immediate in seipso sed in visione expressum.

RESPONDETUR. Ablato visibili, non posse esse naturaliter visionē, quando autem divinitus conservaretur visio, sine termino presente, adhuc tunc terminaretur visio ad terminum non existentem, quia præcisa ratio terminandi, ut dixi alias, non est requisitiva existentie. Immerito etiam supponit Amicus, quod lucis species, in tenebris serventur: hoc ipso enim non essent illic tenebræ quia nec privatio lucis. Quando autem transacta luce, adhuc aliquid videtur, referri hoc potest in imaginationem, in aliquos etiam spiritus lucidos, ex oculis ut aliqui autem scintillantes.

OBJICIT IV. idem. Species expressæ, est adæquata effectus speciei impressæ, species vero impressæ, est adæquata similitudo objecti. Ergo species expressæ, est adæquata similitudo objecti. Ergo in ea sufficienter cernitur objectum, quia in adæquata imagine, adæquata cernitur imaginari.

RESPONDETUR. Quod etiam in adæquata imagine debet ipsum imaginatum attingi, saltem alia notitia, colores enim externi, qui terminant visionem ocularem, non sunt imaginatum. Deinde concedo in adæquata imagine posse adæquate cerni imaginatum, sed difficultate habet: An species, sive impressa, sive expressa, ex conditione speciei, sit adæquata imago. Hoc etiam concessio: dupliciter potest notitiam ingredi imago illa adæquata. Primum ut objectum directum, eo modo, quod omnes notitiæ ingrediuntur cognitionem reflexam, & hoc sensu negatur semper attingi imaginem adæquatam. Secundum imago adæquata ingredi potest notitiam, tanquam ratio ut Quo noscendi, & sic sumpta imago, semper ingreditur notitiam. Sed inde non sequitur, quod tunc non attingatur objectum, prout representatum.

INSTAT idem. Species intentionales sunt ejusdem naturæ, & quidditatis in representando, cum objectis quæ representant.

RESPONDETUR. Species intentionales habere in representando eandem vim cum objectis, in ordine ad completum potentias, vel in ordine ad efficiendam notitiam, sed non habent eandem vim, in ordine ad terminum.

OBJICIT V. idem. Quia non a nobis non potest ostendi causa, ex qua desumatur hæc visionis objectiva variatio.

RESPONDETUR. Id per non esse causam diversæ visionis objectivæ, quod per Amicum ex causa illius speciei expressæ, ita, vel ita se habentis in qua videtur objectum. Quod si ille id retulerit in species impressas, in medium, etiam nos referemus.

Explicantur varii termini, item qui producantur Intellectio.

Plures in hac materia usurpant terminos scholæ, quos operæ pretium erit, sub aspectum simul ponere.

PRIMO. *Conceptus formalis* duplicem significationem habere solet in scholis in hac materia. I. Supponitur pro illa actione, sive illa sit identificata termino, sive distincta a termino, non quod illa actio, sit forma intelligendi, sed quod efficiat illam formam, estque appropriato loquendo, intellectio. II. Est quidem utilitarius, sumitur pro conceptu rei, prout eum format intellectus de objecto, quo sensu dicitur, quod quando prædico de Petro ly homo, non prædico mecum conceptum formalem: hæcque explicatio, coincidit in re, cum conceptu objectivo, mox explicando, per coti-

ceptum objectivum, intelligendo hæc & nunc ipsam qualitatem productam, quæ in quantum procedit ab intellectu, estque factus ipsius, dicitur conceptus formalis. In quantum autem representat objectum, dicitur conceptus objectivus.

SECUNDO. *Conceptus objectivus*, ut olim notari in logica: duplicem sensum facere potest. I. Conceptus sumitur objectivus intentionalis, & hic, non aliud est, nisi cognitio representans objectum. I. Accipi potest conceptus objectivus extraintentionalis, qui est, illa ipsa res, quam representat meus conceptus, quam acceptione est necesse ponere, alias falsa redderentur omnes prædicationes, neque enim cum dico: Petrus est homo, affirmo meum conceptum de homine. Rursus qui amaret Deum, non amaret Deum sed conceptum objectivum suum, quem haberet de Deo quæ omnia falsa sunt.

TERTIO. *Species expressæ*, imago objecti, similitudo intentionalis, in idem recidunt, in quantum scilicet prædicatum, quæ objectum continet, transferuntur in mentem. In particulari autem vocatur similitudo intentionalis, propter identitatem prædicatorum intentionaliter representatorum, & prædicatorum re ipsa contentorum in objecto, prout prædicato.

QUARTO. *Verbum mentis*, est ipsamet etiam intellectio, prout habet rationem manifestantis, adeoque loquentis, de ipso met objecto, ipsimet cognoscenti quia enim verbum id, quo alteri loquimur, appellatur verbum externum, ita intellectio, quæ intelligens loquitur sibi ipsi, dicitur verbum mentis. Et quia loquendo alteri, exprimimus ei nostrum conceptum; sic quia exprimimus nobismet ipsis conceptum objecti, dicimus nobis ipsis loqui, de conceptu objectivo, supple extra intentionali.

Dictio autem ipsa potest dupliciter spectari, si enim ut dictum supra, non datur actio distincta, realiter productiva intellectio, adeoque verbi mentis, in his principiis creata dictio & verbum idem est, si autem distinguatur actio a termino intellectio, Actio illa, dictio erit, verbum autem, erit terminus.

Sunt aliquæ conditiones verbi mentis de quibus consule etiam S. Thom. 1. parte quartæ, artic. 1. Prima est, debet habere esse in mente secundum auctoritatem Augustini. 5. de Trinitate cap. 11. *Per corporalia inquit signa, verbum, quod in mente gerimus, innoscitur.* Secunda est, debet esse quid productum ab intellectu, & progenitum juxta illud Augustini 9. de Trinitate cap. 8. Conceptum, rerum veracem notitiam, tanquam verbum, apud nos habemus, sed dicendo intus gignitur, nec a nobis nascendo discedit. Tertia, debet esse similitudo objecti, exprimereque illud, sicut enim verbum externum, exprimit conceptum internum, & est similitudo ad placitum interioris notitiæ, pro ipsa notitia substitutum, sic verbum internum, debet exprimere objectum, assimilarique illi per representationem prædicatorum. Quamvis alii conditionem ponunt, ut non maneat, cessante actu cognoscendi.

QUINTO de verbo increato & creato, inter se comparatis, hæc colliguntur.

Inter verbum increatum & verbum creatum licet sit aliqua similitudo, est tamen non pauca differentia. Verbum enim creatum, est accidentale, mutabile, & unum, succedens alteri, verbum autem divinum, est substantia, permanens, mutabile, & idem semper. Rursus verbum creatum reddit formaliter cognoscentem eum in quo, & a quo producit, in creatum autem supponit cognoscentem Patrem, ipse etiam filius qua verbum est, licet sit intellectio passiva, qua Deus ramē est, intelligit cognitione est actuali, communi omnibus tribus personis. In hoc autem verbum increatum est simile verbo externo, quia sicut verbo externo, non nobis, sed alteri loquimur, sic verbo aeterno, non sibi loquitur Pater, sed filio.

Ad hæc tunc explicata refertur intellectio passiva & intellectio activa quæ duo in creatis, sunt idem. Si autem secundum formalitates spectentur, formalitas intellectio passivæ, idem erit quod intellectio, verbum mentis, species expressæ &c. adeoque etiam idem cum reliquis similibus formalitatibus, intellectio autem activa idem erit, quod Intellectio, dictio, &c.

Quod attinet ad modum fabricandæ intellectio, hic traditus est in logicis ubi de fabricatione universalis, attingitur etiam in materia de potentia sub initium, juvat tamen hoc loci, utpote proprio, idem retexere.

Primo obiectum sensibile producit sui species, vel si illas non habet, conjungitur sensorio. Deinde productæ species recipiuntur in sensu, complentque sensum, ut producat speciem expressam v.g. visionem ocularem, subinde determinatur etiam sensus communis, ut idem obiectum noscat & phantaseretur ex communiori sententia sibi fabricat speciem impressam materiale, remanentem naturaliter, etiam amoto obiecto, specieque impressa habita procedit phantasia ad speciem expressam formandam, ponendamque phantasiam visi obiecti repræsentativam. Rursus pro sua parte, intellectus noscitur obiectum illud materiale, format sibi per intellectum agentem speciem impressam spirituale, per hancque completur ex sententia multorum, etiam præsentæ actuali sensatione obiecti, ut intellectus patiens suo officio fungatur, adeoque formet speciem expressam obiecti, sensu

percepti, remanetque postea duplex species. Prima illa species impressa antecedens speciem expressam spirituale. Secundò manet illa species impressa, quæ ostendit, habitam speciem esse expressam huius obiecti, seu fuisse illud cognitum, Prima specie utitur anima ad directas noticias fabricandas, secunda autem utitur, quando fabricat sibi similem notitiam, sed simul repræsentantem, quod hoc etiam in ante cognitum fuerit. Positis illis variis speciebus impressis, comparat anima similitudinem & dissimilitudinem obiectorum, ad imitationemque præhabitarum specierum impressarum, quæ erant de rebus singularibus & materialibus, procedit ad formandas alias species impressas rerum universalium, & spiritualium, idque ex collatione obiectorum, & ad similitudinem aliarum specierum, quo posito, redditur apta, ad noscenda universalia, spiritualia &c. obiecta.

DISPUTATIO IV.

De Intellectionibus in Particulari.

Primum agendum hîc esset de tribus Intellectûs operationibus, sed de his actum est sufficienter in Logicis.

NOTO I. Copulam in Propositione, necessariò habere respondentem sibi obiectivam identitatem, alia phrasi idem exprimitur quod scilicet obiectum iudicii, non sint sola extrema. Est contra Valquez 1. parte Disp. 223. & contra Cominbricenses in caput 4. Peri hermenias.

RATIO I. Quia si non responderet quidquam particulæ: Est, & esset cognitio illa iudicativa & non esset, esset ut supponitur, non esset autem, quia per nihil, posset distingui, à prima operatione; & certè subjectum & Prædicatum possunt esse simul obiectum primæ operationis, & constituere terminum complexum.

Ergo per hoc præcisè quod simul apprehendatur subjectum & prædicatum, non distinguitur prima & secunda operatio, cum iudiciû per te non sit aliud, nisi ipsi illi duo termini apprehensi.

RATIO II. est. Impossibile est esse iudicium quin sit verum vel falsum. Sed si secunda operatio non esset nisi duo extrema, possibile esset iudicium neque verum neque falsum. Quod ipsum probatur. Isti termini, Homo lapis si per te habent veritatem Propositioni debitam quamvis nihil respondeat particulæ Est, formabo hanc propositionem, Homo est lapis, en reddetur falsa, si autè dicas illos terminos habere falsitatem formabo hanc Homo non est lapis, quæ tamè est vera propositio. Ergo apparet propositionem quâ talem non stare in duobus terminis simul apprehensis.

RATIO III. est. Quia tertia operatio non est duæ secundæ operationes, ergo nec secunda operatio sunt duæ operationes primæ, h. e. prædicatû & subjectum, aliàs non dabuntur etiam tres ope-

rationes intellectus, sed non nisi prima, quæ duplicata supponat pro secunda operatione & triplicata supponat pro tertia operatione.

NOTO II. Iudicium illud quo stat secunda operatio esse Qualitatem indivisibilem idemque proportionatiter dicendum de iudicio illativo.

RATIO I. Ex Oviedo est. Quia cum dico, Homo est rationalis, iste actus est simplex, Quod ipsum probat. Quia hic actus dicit hominem & rationale convenire, & hoc ipso, quia dicit hominem & rationale convenire, dicit etiam rationale convenire homini, hæc enim idem sunt. Ergo quando dico homo convenit cum rationali, superfluum erit, iste alius actus, rationale convenit cum homine, consequenter secunda operatio erit unus adeoque indivisibilis actus.

RESPONDERI posset huic argumento, retorquendo illud. Probat enim quod quando dico, Pater refertur ad filium. Sit actus otiosus, si dicam filium referri ad Patrem; Rursus non insuetum est, ut ea quæ in obliquo ponuntur, si ponantur postea in recto diversum sensum faciant. Denique sicut fieri potest, ut unum referatur ad aliud, & vicissim illud non referatur ad ipsum, ita etiam fieri potest ut non eundem identitatis modum dicat subjectum cum prædicato, quem dicit Prædicatum cum subjecto; & ita rationale dictum de animali, dicit identitatem cum animali, sed cum modo irreperibilitatis sine animali, cum tamen subjectum, hoc est animal dicat identitatem sed cum reperibilitate sine rationali, quâ saltem vel simili diversitate interveniente cur non erit Locus diverso Iudicio adeoque bino & excludente rationem indivisibilis qualitatis à secunda operatione.

RATIO